



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Qvæstio XXXI. In Titulum XXXI. De Regularibus, Et Transeuntibus Ad Religionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

## QVÆSTIO XXXI.

IN TITULUM XXXI. DE REGULARI-  
BUS, ET TRANSEUNTIBUS AD RE-  
LIGIONEM.

2651 **A**ctum est hætenus potissimum de uno genere personarum Ecclesiasticarum, nempe Clericorum non Regularium; nunc juxta eandem ordinem dicendum venit etiam de Regularibus. Ex ipsa autem rubrica hujus tituli apparet duo specialiter hoc titulo tractari; primum de ipso statu Regulari, ejus substantia, requisitis, obligationibus, & aliis juribus: secundum, de transitu ab uno Regulari ordine ad alium. De singulis, potissimum juxta sacros canones in hoc titulo, dicemus.

## ARTICULUS I.

*De natura, & substantia status Religiosi.*

2652 **S**tatus Religiosus, juxta Layman *l. 4. Theol. moral. c. 1. n. 1.* & alios communiter, definitur, *stabilis in communi vivendi modus fidelium, ad Christianæ Charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis, perpetuæ castitatis, paupertatis & obedientiæ, ab Ecclesia approbatus.* Ad hunc statum substantialiter pertinent primo tria consilia Evangelica, paupertatis, perpetuæ castitatis, & obedientiæ, ut tradit S. Thomas *2. 2. q. 186. a. 3. 4. & 5.* & constat ex *c. Cum ad monasterium, 6.* de statu Monachorum, ibi: *nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regule monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere;* Secundo, ut hæc ipsa tria consilia perpetuam voti obligatione firmentur; ita S. Thomas *cit. q. 186. a. 6.* Suarez *tom. 3. de Relig. l. 1. c. 2.* Sanchez, & alii. Tertio, ut ea firmentur voto in Religione per Sedem Apostolicam approbata, approba-

tionem non tantum approbante modum taliter vivendi; sed etiam approbante tantquam veram Religionem; ita Sanchez *l. 4. moral. c. 1. num. 19.* & alii communiter. Quarto, ut emittens ejusmodi vota constituatur sub alicujus superioris seu Prælati Ecclesiastici jurisdictione, cui subest in ordine ad ea, quæ sunt observanda, vel cavenda, ex vi Religionis, secundum ejus jura, & statuta, cui se mancipavit; ita Sanchez *cit. num. 10.* his suppositis:

Not. 1. ad substantiam voti paupertatis, 2653 constitutis verè, ac propriè religiosum, non pertinere, quod Religiosus in persona sua particulari sit incapax proprii, prout hoc importat dominium rerum temporalium, sic tamen, ut non habeat licitum eorum usum independentem à voluntate superioris; secus, ut sit incapax usus independentis à voluntate superiorum; ratio primæ partis est, quia, qui in Societate JESU post Novitiatum emisit tria vota simplicia, ex quibus etiam est votum paupertatis, retinent ad tempus dominium bonorum temporalium, cum eorum usu dependente à voluntate superioris, & tamen sunt verè, ac propriè Religiosi, ut latè diximus *lib. 2. a. num. 41. ex constitut. Gregorii XIII. incip. ascendente:* ratio secundæ partis est, ex *cit. c. Cum ad Monasterium, de quo num. 2652.* nam aliqua incapacitas proprietatis est de substantia Religiosæ paupertatis, adeo, ut in illa nec summus Pontifex dispensare possit, ut ibidem dicitur; ergo vel incapacitas proprietatis, sita in dominio rerum temporalium nomine communi; vel nomine proprio, & personæ particularis, vel usus independentis à voluntate superioris; non primum; quia de facto dantur verè Religiosi nomine communi possidentes, & habentes dominium rerum temporalium; non secundum; ut manifestum est ex probatione primæ partis, de quo plura etiam diximus *a. n. 906.* ergo tertium.

Not.

2654 Not. 2. ad votum castitatis religiosæ, requiri promissionem castitatis *absolutæ*; hoc est, excludentis omnem usum carnis commercii, etiam liciti, & conjugalis; unde, ut quis verè, ac propriè sit Regularis, seu Religiosus, non sufficit votum castitatis tantum conjugalis; sed castitatis, quæ sit consilii Evangelici, nimirum perfectæ; conjugalis enim castitas aliunde est sub præcepto. Unde illos, qui in certis quibusdam Ordinibus (puta Commendatorum D. Jacobi Alcantaræ) non vovent castitatem nisi conjugalem, negat verè, ac propriè *Religiosos esse*, D. Thomas. 2. 2. q. 186. a. 3. ad 4. esto concedat, esse personas *Ecclesiasticas*, quia gaudent privilegio fori, & canonis; quia reverà tales non promittunt castitatem, quæ est consilii Evangelici.

2655 Suarez tamen tom. 4. de Relig. l. 1. c. 4. num. 26. & Sanchez l. 4. moral. c. 16. num. 9. & alii tenent oppositum, volentes etiam illos, esse propriè Religiosos, *quoad statum*; licet non *quoad usum, & observantiam*, eò, quod per Papæ dispensationem tales possint ducere Uxores. Mihi non est dubium, Pontificem cum Religioso, etiam perfectam castitatem solenniter professo, posse dispensare pro sensu diviso statûs Religiosi, dispensatio nimirum non manente verè ac propriè Religioso, de quo dixi lib. 4. decretal. non autem pro sensu composito, ut nimirum dispensatus ad usum conjugii, maneat simul Religiosus; de hoc loquitur c. Cum ad Monasterium, de quo num. 2652.

2656 Not. 3. quando dicitur, ad substantiam status Religiosi necessarium esse, quod tria consilia evangelica voto firmentur *obligatione perpetuâ*; (status enim ex conceptu suo importat quandam immobilitatem) intelligi saltem ex parte unius, nimirum transeuntis in talem statum; & quoniam, qui in Soc. JESU, post biennium Novitiatus emittunt tria vota simplicia, paupertatis, castitatis, ac obedientiæ perpetuæ, quibus se in tali Religione Deo immobiliter, ac in perpetuum devotent, ipsâ Dei nomine hanc obligationem acceptante, constituuntur verè ac propriè Religiosi, non secus, ac alii in Societate, vel aliorum Ordinum Professi, quin ipsa Religio eisdem se vicissim sim.

Tom. III.

pliciter, & absolute obliget, sed solum quam diu communi Religionis bono expedire visum fuerit, eos retinere, ut constet ex Constitutionibus Summorum Pontificum, Julii III. & Gregorii XIV. quibus hoc institutum confirmarunt, sequitur non esse de substantia status Religiosi ut sic, & suscipientis Religionem & ipsius etiam Religionis obligationem perpetuam; sed sufficere illam, quantum est ex parte voventis, seu Religionem per ejusmodi vota ingredientis; ea porro, quibus se non obstantibus summorum Pontificum constitutionibus contra hoc ipsum diversi magnâ temeritate opponebant, præterquam, quod certò falsa sint, ut pote opposita tam claris Apostolicæ Sedis decretis, dissoluta videri possunt apud P. Suarez cit. l. 2. c. 14. Sanchez cit. c. 1. num. 26. & alios.

Not. 4. quamvis olim Religiones, seu 2657. Cœtus Religiosorum extiterint, qui non erant positive approbati à Sede Apostolica, sed solo Ecclesiæ usu publico, & more, à solis Episcopis, Pontifice non repugnante (ut est Ordo SS. Basilii, Augustini, Benedicti) nunc tamen requiri positivam Sedis Apostolicæ approbationem, ne fortè, prætextu Religionis, diversi errores in Ecclesiam inducantur; nam approbatio Religionis est inter causas graviores; causæ autem graviores nunc reservatæ sunt soli summo Pontifici, c. Majores. 3. de Baptismo; & constat ex c. *fra. de Religios. domib.* ibi: *unam de probatis assumat*, & c. *unico. cod. in 6.* ibi: *cunctas affirm Religiones*, & *Ordines mendicantes post dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuè prohibitioni subjicimus, & quatenus processerant, revocamus.*

Not. 5. duplicem potestatem confide. 2658. rari posse in Prælato, vel superiore, qui alicui Religioni, vel etiam Regulari domicilio, vel Conventui præest, unam *gubernativam*, (quam aliqui vocant *Oeconomicam*) sitam in potestate præcipiendi, corrigendi, & coercendi, etiam per pœnas, non tamen eas, quæ supponunt jurisdictionem spirituales; alteram, *jurisdictionis spiritualis*, quæ dicitur clavium, ac consistit in potestate ligandi, & solvendi, atque puniendi per censuras, & alias pœnas Ecclesiasticas. Hæc potestas juris-

H h h h

juris-

jurisdictionis spiritualis potest separari à potestate gubernativa; istam enim habent Abbatisse, & Præpositæ, seu Superiorissæ Mönialium, sine illa, qualibet tamen juxta mensuram, & normam sui Ordinis, & Instituti. Coeterum potestas gubernativa, supposita susceptione Ordinis Regularis in eos, qui præstant, derivatur à Deo, vel immediatè, ut aliqui volunt; vel mediante illo, qui talem Religionem approbat, immediatè illam communicante primis Religionum Capitibus, cum facultate illam committendi aliis, juxta exigentiam cujusque Instituti.

## ARTICULUS II.

*De ingressu Religionis.*

2659 **P**er *ingressum Religionis* interdum intelligitur susceptio habitus, & receptio inter Novitios, qui versantur in probatione; interdum ipsa emissio Votorum vel solemnium, vel simplicium, quibus quis verè, ac propriè Religiosus constituitur. Tempus autem illud, quo ingressi Religionem in prima acceptione *ingressus* versantur in probatione, communiter *Novitatus*, seu *Zyrociniuum* dicitur, ad quod legitime peragendum requiruntur. 1. ætas legitima; 2. locus debitus; 3. susceptio habitus Religiosi; 4. certum tempus continuatum.

## §. I.

*De ætate ad annum probationis requisita.*

2660 **Q**uestio nunc est, quæ jure communi censeatur ætas legitima, ut quis ad *Novitatum*, seu probationem admittatur? *æ.* aliud dicendum jure novo, aliud spectato jure antiquo; nam, ut observat Suarez tom. 3. de Relig. l. 6. c. 19. *ænum.* 17. quando olim professio emitti poterat statim completâ pubertate, in Viro sufficiebat ætas annorum 13. in femina 11. completorum: jure autem novo quoad hoc, ut quis possit inchoare probationem, requiritur in ingrediente pubertas verè completa, quin sufficiat, quod malitia suppleat ætatem; colligitur ex c. *ad nostram.* 8. h. t. ibi: mandamus, quatenus, si consiterit, quod *præfatus T.*

*ante consummationem 14. anni susceptum habitum deposuerit, aut si post 14. annum habitum ipsum sine probatione susceperit, & intra triduum deposuerit, cum ab impetitione prædictorum Eremitarum denunties absolutum;* & c. *Cum Virum.* 12. cod. ubi dicitur, quod puella, minor 12. annis, postquam in illa ætate à parentibus tradita, & major seu pubes facta sponte velata est, ad seculum redire non possit; igitur, si major facta non sponte velum suscepit, seu liberè non consentit in id, ad quod à parentibus tradita est, non tenetur. Verùm hic textus non agit directè de ætate requisita ad subeundam probationem; sed ad *professionem*; & procedit jure antiquo, ubi professio valebat, facta statim post pubertatem completam.

Coeterum responsio data suadet etiam ratione; quia probatio instituitur, ut Novitius probeat austeritatem Religionis prius, quam illi se in perpetuum obliget; & vicissim Religio Novitium, num habilis sit ad onera Religionis? ad hoc autem necessarium est, ut habeat annos discretionis, prout satis clarè colligitur ex cit. c. *cum Virum*, ibi: *non enim videtur illa monastica professio à se posse jugum excutere, cum eam non consuet evidentiter contradixisse, cum benedictionem accepit, quam non nisi in ætate discretionis recipiunt, que velantur, præsertim si rati habitatione secuta* (etsi eam quandoque contradixisse consiterit) *quod ante gestum fuerat, roboratur;* Sanchez l. 5. moral. c. 4. *ænum.* 22. Azor p. 1. l. 10. c. 2. q. 4. & alii.

Dices: *Trid. sess. 25. de Regularib.* 2661 c. 15. ita statuit: *In quacunq; Religionem tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regula, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscunq; effectus; quo posito, sic argui potest: ut professio valeat, præmitti debet annus probationis, quam immediatè sequatur professio; cum ergo*

ergo hæc non valeat nisi post annum atatis. 16. completum, nec valebit probatio nisi post completum 15. & admittendo textum Tridentini, prout relatus est; sed negando in eo statui, quod assumitur in argumento; ibi enim non dicitur, quod annus probationis sic antecedere debeat professionem, ut eo expleto *immediate* sequatur professio; vel quod probatio nulla sit, si non *immediate* antecedit professionem; & hæc *immediate* sequatur finitum probationis annum; id, quod ibi dicitur, solum est. 1. quod professio sit irrita, & nulla, si facta sit ante completum 16. atatis annum; 2. quod Novitius ad professionem admitti non debeat, si minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit; & ideo, quod jure communi hodie statutum est, ut quis ad probationem in Religione subeundam legitime recipiatur, sufficere annos pubertatis completa; non est immutatum hoc Conciliari decreto.

2663 Ex hoc etiam habetur, non requiri, quod annus probationis *immediate* professionem antecedit; vel eo finito statim sequatur; cum justis de causis, vel impedimento quodam existente professio differri possit ad tempus; ita Suarez cit. l. 5. c. 13. num. 8. Lessus l. 2. c. 4. n. 59. & alii complures apud Barbof. in cit. c. 15. Irid. num. 32. Unde probationis annum posse impleri ab eo, qui nondum explevit annum decimum sextum, & vitalis probationis posse probatum admitti ad professionem expleto decimo sexto anno, asserunt Navarr. consil. 30. num. 1. de Regular. in 1. edit. alias consil. 20. num. 1. eod. tit. in 2. edit. Henriquez l. 13. c. 40. §. 2. in fine; Galet. V. profiteri. 3. Azor l. 12. c. 4. q. 9. in fine; Fr. Emmanuel tom. 3. q. 15. a. 2. in fine, Valer. Reginald. l. 18. num. 385. Sanchez in præcepta Decalog. tom. 2. l. 5. c. 4. num. 22. in fine.

2664 Dices: in Irid. sess. 25. de Regul. c. 16. dicitur: Superiores, Novitios, quos habiles invenerint, ad profitemdum admittant, aut e Monasterio eos ejiciant; ergo finito probationis anno Novitii vel sunt statim ad professionem admittendi, si habiles sint; vel e Monasterio dimittendi, si inhabiles. & 1. in Tom. III.

hoc decreto non comprehendi institutum Soc. JESU, ut manifestum est ex verbis, quæ Sacrum Concilium Tridentinum prioribus *immediate* subjungit, ibi: *per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JESU, juxta pium eorum institutum, a Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesie inservire possint.*

Ex his Concilii verbis deducitur, hoc Conciliare decretum non habere locum in Novitiis Societatis JESU, ac proinde eos posse renuntiare bonis in favorem Societatis, vel cujusvisque, non servatâ hæc formâ, nec expectato bimestri ante professionem, vel ante vota biennii, ut tenent Fr. Emman. quest. regul. tom. 2. q. 47. a. 8. Emman. Sâ V. Religio. n. 5. Molin. tr. 2. D. 139. vers. antequam, Less. l. 2. c. 41. D. 4. num. 41. quos refert, & sequitur Sanchez cit. l. 5. c. 5. num. 9. Barbof. in dict. c. 5. Concilii num. 41. ubi addit Aldanus in Compend. Canon. resol. l. 1. tit. 15. num. 10. fuisse decisum, quod Patres Societatis JESU hoc decreto non solum excepti sint quoad emittendam professionem, sed etiam quoad obligationes, & renuntiationes, adeo ut hæc etiam ab eorum Novitiis quandoque & sine cujusvis licentia facta, nullitati dicti decreti minimè subiaceant.

& 2. in eo Conciliari decreto non intervenit cum terminum statim; quare dato anteced. N. conseq. ex dictis; & ideo Prælatum, & Conventum, vel Capitulum dilationem ad profitemdum Novitio, post annum Novitiatus, probato à se idoneo, non obstante hoc decreto, iusta de causa concedere posse, resolvunt Navarr. consil. 29. in antiquis; alias 30. in novis de Regular. Sayr. in floribus dec. sub illo tit. decis. 35. Fr. Emmanuel. in Summ. part. 2. c. 8. num. 3. & quest. regul. tom. 3. q. 15. a. 10. in fine, & quest. 17. a. 6. Bartol. a S. Fausto, l. 5. q. 168. Less. de justit. l. 2. c. 41. D. 7. Sanchez in præcept. Decal. l. 5. c. 4. num. 6. Hieron. Roderic. in Compend. quest. regul. resol. 101. num. 83. qui duo posteriores asserunt in Ordine Minorum usque ad decimum octavum posse dilatari professionem juxta eorum regulam.

2667 Dixi sup. ut quis ad annum probationis in Religione subeundæ admittatur, hodie *jure communi* sufficere annos pubertatis completæ; nam secus est ex particulari statuto Religionum per Sedem Apostolicam approbatarum etiam in suis Constitutionibus. Sic in Societate JESU nemo potest admitti ad Novitiatum, seu probationem, ante expletum 15. ætatis annum, sicut nec post expletum 50. annum, sine Generalis dispensatione, ut constat ex Reg. 16. Provincialis, & *Can. 9. Congreg. Gener. VIII.* Et ideo, si quis emitteret vota simplicia in Societate, emitti solita post biennium Tyrocinii, vota essent invalida, si quis biennium probationis inchoasset ante completum 15. ætatis annum sine dispensatione P. N. Generalis, de quo Sanchez *l. 5. moral. c. 4. à num. 26.* nam admissio illa secundum tempus, quod est ante completum 15. annum, esset à non habente potestatem admittendi ante illud tempus, seclusâ dispensatione P. N.

## §. 2.

*De loco faciendæ Probationis, seu Tyrocinii.*

2668 De hoc agitur *c. 1. h. t. in 6.* ubi dicitur, quod ante 14. annum Monasterium ingressus, ut Monachus efficiatur, *si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit*, ubi Professorum, & Novitiorum habitus sunt indistincti, professionem per hoc fecisse videatur; ad quæ verba notant Menochius, Azor, & alii apud Barbos. *in dict. c. 1. num. 5.* ut gestatio habitus in dicto casu inducat, suppositis cæteris, tacitam professionem, requiri, *quod susceptus habitus deferatur in ipso Monasterio.* Sed hoc non facit ad præsentem quæstionem; id enim, quod in præsentem quæritur, est, an probatio fieri debeat intra domos, vel habitationem religiosam?

2669 Affirmativam suadet ratio ex fine probationis; hæc enim fit, ut probeat vitam, & modum vivendi talis Religionis, obediendo, addiscendo scitu necessaria, se abnegando per subjectionem, & rerum secularium abdicationem, exercendo se in functionibus ejus propriis sub disciplina

Magistri ad hoc destinati, qui observatis ejus moribus, inclinatione, ac habilitate informare possit superiorem, ac eos, à quorum consensu pendet ejus ad professionem admissio, vel rejectio, &c. at hæc sine inconvenienti fieri non possunt, si maneat eo tempore in seculo: ergo.

Dubitari autem potest, an totus, & 2670 integer probationis annus fieri debeat in Monasterio, sic, ut nullâ illius parte debeat extra domum talis Religionis, vel Monasterii? R. non requiri, modo ejus commoratio extra Monasterium fiat de legitimi superioris licentia, cum animi promptitudine semper redeundi, ubi ab eodem revocatus fuerit, præsertim, si juveatur extra Monasterium deservire hospitalibus, in aliqua peregrinatione subeundo exercitia humilitatis, paupertatis, incommoditatum corporis, &c. hæc enim prorsus eximia probatio est, quæ fit alacriter superioribus obediendo; & ita tradit Suarez *cit. l. 5. c. 14. à num. 13.* Sanchez *cit. c. 4. à num. 27.* Navarr. *l. 3. confl. 32. à n. 2. & alii.*

Unde etiam notat Navarrus, & Sua. 2671 *rez cit. c. 14. num. 15.* Novitium anno probationis completo posse ad professionem admitti, sit habilis judicetur, licet statim ab inchoato Tyrocinio infirmatus, toto prope probationis tempore æger fuerit; quia non obstante hoc accidente sufficienter eum experiri potuit Religio, ac ipse etiam illam experiri, exercendo in doloribus patientiam, obedientiam, & actus virtutum Religionis propriam, esto actionibus quibusdam externis fieri cæteroquin in ea Religione solitis minus impendere se potuerit, nam iste est finis legis, qui non cadit sub obligationem.

## §. 3.

*An annus Probationis fieri debeat suscepto habitu?*

R. Hoc velle communio rem sententia. 2672 Hæc, nimirum, ad valorem Novitiatu opus esse, ut annus Probationis, suscepto habitu regulari, peragatur; *gloss. in c. Super eo. 9. V. in eadem veste. h. t.* Sylvester V. *Religio. 5. q. 5.* Azor p. 1. l. 12. c. 2. q. 9. Sanchez *l. 5. mor. c. 4. n. 29.*

ratio

ratio est, quia probatio Novitii eò ordinatur, ut ipse experiatur Religionis austeritatem, cujus magna pars consistit in habitu, ideoque non potest censi probatus, qui habitum non gestavit; & constat ex Tridentino relato *num. 2662. ibi*: nec qui minore, quàm per annum, *post susceptum habitum*, in probatione steterit, ad professionem admittatur, ac proinde vult, quòd non nisi post susceptum habitum, annum probationis inchoare, censendum sit. Hinc habitum regularem à Novitiis deferendum esse de essentia, atque substantia anni probationis, tradunt Azor, *cit. l. 12. c. 2. quest. 9. Fr. Emman. cit. q. 15. a. 9. Sanchez cit. l. 5. c. 4. num. 29.* & plures alii, quos citat, & sequitur Barbof. *in Trid. sess. 25. de Regular. c. 15. num. 36.*

2673 Verùm spectatà rei naturà, & seclusis particularium Religionum statutis, oppositum est probabilius, nimirum ad substantiam legitimæ probationis non requiri, quòd ea fiat suscepto habitu; hoc enim limitant plures ex cit. Authoribus, ut non procedat. 1. si regula alicujus Religionis à Pontifice approbata aliud præscriberet, vel usus legitimè præscriptus id obrinisset. Deinde, si talis esset Religio, quæ habitum proprium non haberet, ut non habet Societas JESU, cujus Religiosi ex usu regionis, in qua habitant, vestiuntur, secundum Sanchez in præcepta *Decal. tom. 2. l. 6. c. 8. num. 70.* Unde licet Novitius deferre debeat habitum, quo regula, vel statutum, aut consuetudo cujusvis Religionis uti vult, non esse tamen de substantia anni probationis Novitium inducere habitum Novitiorum ab habitu Professorum distinctum, resolvunt Suarez *tom. 3. de Relig. l. 5. c. 14. num. 10. Fr. Barth. de Vecchis D. 11. D. 7. n. 3. Tambur. tom. 3. de jure Abbatum, D. 6. q. 8. n. 5. & 6.*

2674 Probari etiam potest. 1. ex *c. unico, dist. 53.* ubi Gregorius Papa scribens Episcopo Siciliae de lege Mauritii Augusti, ne, qui militia, vel rationibus sunt publicis obligati, ad Ecclesiasticum habitum veniant, si qui verò, inquit, ex militariibus Viris in Monasteriis converti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita; &

juxta normam regularem *debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum, Deo auctore, suscipere; & c. Multos. 23. dist. 54.* ibi: unde necesse est, ut, quisquis ex juris Ecclesiastici servitute, vel secularis militia, ad Dei servitium converti desiderat, *probetur prius in laico habitu constitutus.*

Et quamvis aliqui dicant, hos canones usi esse abolicos; vel nomine vestis *laicalis*, intelligi habitum Novitiorum, prout est distinctus ab habitu Professorum; hoc tamen non probatur; nam, quod assumitur ex Trid. probabiliter intelligitur solum pro casu, quo ex gestatione habitus inducitur tacita professio; deinde Concilium aliud non voluit, quàm quòd regulariter, & stante consuetudine recepta annus probationis non inchoetur, sive computandus sit nisi ab eo die, quo habitus suscipitur, quia admissio ordinariè, & ex consuetudine communiter nunc recepta fieri solet per susceptionem habitus Religiosi; non autem absolute, & seclusa tali consuetudine; de quo plura Suarez *cit. tom. 3. l. 5. c. 13.*

S. 4.

An professionem precedere debeat integer annus Probationis?

2676 Jure antiquo tempus probationis, ante professionem fuisse varium; nam juxta Alexandrum II. canonicà institutione interdictum fuit, *Monachum ante unius anni probationem effici*, ut habetur *17. q. 2. c. Consulatus. 1.* alibi autem, ut dicitur *19. quest. 3. c. Monasteris. 6.* Monasteriis omnibus districtius interdictum erat, ut eos, quos ad conversationem susceperint, *præquam biennium in conversatione compleant*, nullo modo audeant tonsurare. Sed hoc spatio vita, moresque eorum sollicitè comprobentur: ne quis eorum aut non sit contentus eo, quòd voluit, aut ratum non habeat, quòd elegit. Deinde *17. q. 2. c. si quis. 3.* constitutum fuerat, ut, si quis incognitus Monasterium ingredi voluerit, *ante triennium Monachi habitus ei non præstetur.* Denique *c. unico, dist. 53.* in militibus religionem ingredientibus

Hhhh 3 requi-

requiritur probatio *per triennium* in suo habitu; hac jure antiquo.

2677 Jure autem novo Innocentius III. statuit, Professionem Monachi, vel Canonici Regularis, ante *unius anni* probationem nec fieri, nec recipi debere, ut habetur c. *Ad Apostolicam*. 16. h. t. ibi: *eum Monachum fieri ante unius anni probationem regularis institutio interdicit.* Sed quia Pisanus Archiepiscopus ex eodem Pontifice quaesivit, *an professio citius facta valeret*, si ante tempus probationis regulariter præfinitum, is, qui converteri desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se, vel per Alium professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente? ratio videbatur ex eo, quia, ut uno anno probatio duraret, constitutum est non solum in favorem Converteri, sed etiam Monasterii; ut & ille asperitates illius, & istud Mores illius valeat experiri; favori autem sibi concessio videntur renuntiare posse, consequenter valituram professionem. Ad hoc respondit Innocentius: *quod uterque tali casu renuntiare videatur ei, quod pro se noscitur introductum*: ideoque obligetur per professionem emissam pariter, & acceptam ad observantiam regularem, & verè Monachus sit censendus: quia *multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem.* Addit tamen, prohibendum esse Abbatibus, *ne passim ante tempus probationis quoslibet indiscretè recipiant*: & si contra formam præscriptam quoslibet indiscretè receperint, animadversione debita esse corrigendos: cum *in subsidium fragilitatis humane spatium probationis sit regulariter institutum.*

2678 Ex hoc habetur, quod jure hujus c. tempus Novitiatus fuerit unius anni, sic tamen, ut, si infra annum expletum de consensu Novitii, & Religionis emissam fuit professio, ea valuerit, quamvis, si indiscretè Novitius ad professionem, anno probationis necdum elapso admitteretur, reprehendendus esset Abbas, ut ait textus; ab hoc tamen exceptæ sunt duæ Religiones Minorum, & Prædicatorum; nam ad has ante annum Novitiatus expletum non poterit admitti Novitius per c.

*non solum. 2. h. t. in 6.* ubi Alexander III. scribens Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, *Vobis*, inquit, *de Fratrum nostrorum consilio in virtute obedientie, & sub pœna excommunicationis, auctoritate presentium, districtius inhibemus*, ne intra annum probationis elapsum (qui est maxime in subsidium fragilitatis humane regulariter institutus) quemquam ad professionem vestri ordinis, seu renuntiationem in seculo faciendam recipere, nec institutum intra hujusmodi annum aliquatenus impedire, quo minus intra ipsum ad aliam Religionem, quam maluerit, transeat: vel (nisi major tamen quatuordecim annis existens professus sit tacite, vel expresse, aut evidenter constet, illum vitam voluisse mutare: *quod tamen non præsumitur*, nisi clara probatione, vel competentibus indiciis ostendatur) omnino ad seculum redeat, sicut de sua voluntate processerit, præsumatis. Quod si forte contra hanc nostram prohibitionem, quemquam recipere præsumperitis, *decernimus eum (qui taliter receptus fuerit) nullatenus vestro esse ordini alligatum, vosque a receptione quorumlibet ad professionem ejusdem ordinis fore ipso facto suspensos*, & insuper pœna subjiendos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravius confluavit.

Hæc constitutio deinde à Bonifacio 2679 VIII. extensa fuit etiam ad alios Ordines Mendicantes, ut habetur c. *Constitutionem*. 3. eod. in 6. ubi sic loquitur: *Constitutionem Innocentianam, quæ prohibet converterum professionem recipi ante annum probationis elapsam*: præ memoria Alex. Papa IV. prædecessor noster, ad fratrum Prædicatorum, & Minorum ordinem duntaxat declaravit extendi: *Unde Nos pari similitudine rationis induci, declarationem eandem ad aliorum Mendicantium ordines prorogamus*: in aliis autem religionis professio *expresse vel tacite fieri potest licite intra annum.* Sed expresse emissam (etiam seculari habitu non mutato) illi religioni præcisè obligat, quam profitens est professus: Tacite vero facta intra probationis annum per susceptionem habitus (qui profitentibus tantum datur) non illi speciali

cialiter, cuius habitus est susceptus, sed generaliter religioni alicui recipientem obligat, si aetatis apta sit: si sciens, & voluntarius ac triduo perseveret.

2680 Ex his iuribus collig. 1. quod Prædicatores, & minores infra annum probationis quemquam ad sui Ordinis professionem recipere non possint, quod si fecerint, receptus obligatus non est eorum Ordini, & ipsi à receptione professionis aliorum sunt suspensi, & puniendi poenâ, quæ pro gravioribus culpis eis consuevit infligi; sic Vivianus in Rationali juris canonici pag. 300. & alii; 2. idem dicendum de omnibus Religiosis Mendicantibus, qui aliquem recipiunt ad professionem non expleto probationis anno per dict. c. *Constitutionem*; secus de aliis, non Mendicantibus, quantum est vi juris communis; quia extensio c. *non solum*, loquentis de Prædicatoribus, & Minoribus, per c. *Constitutionem* porrigitur solum ad Ordines Mendicantes, adeoque in vigore suo quoad alios non Mendicantes manet, quod dixit Innocentius III. in c. *Ad Apostolicam*. 16. h. t. de quo num. 2677. & illi censuræ, de qua dictum est in præmissis iuribus, etiam subijci quoad illud punctum Moniales Ordinum Mendicantium, tradit Sanchez de matrim. l. 7. D. 25. num. 22. & in Decalog. tom. 2. l. 5. c. 3. a num. 18. Sed hæc vi juris ante Tridentinum, in quantum attingunt professionem ante completum Probationis annum.

2681 Postea enim in dicto Concilio sess. 25. de Regular. c. 15. (de quo num. 2662.) expressè decretum est, ne qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad Professionem admittatur; &c. Ex hoc Concilii decreto deducitur. 1. professionem ante expletum Novitiatus annum factam esse nullam; ita Sanchez in Decal. tom. 2. l. 7. c. 4. num. 8. Fr. Emmanuel Dg. Regul. tom. 2. q. 2. a. 7. & tom. 3. q. 15. a. 1. cum seqq. Azor p. 1. l. 12. c. 2. q. 6. cum aliis; & colligitur ex finali- bus eius decreti verbis, ibi: *professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem, &c.* quæ clausula non tantum afficit primam decreti partem de professione facta ante completum 16. aetatis annum; sed etiam secundam, de

facta ante completum probationis annum; cum utriusque subijciatur sine termino restringente illam solum ad primam decreti partem.

Hoc tamen Conciliare decretum, quo- 2682 ad secundam partem de professione non admittenda, vel facienda ante expletum probationis annum intellige, nisi aliquibus speciali privilegio aliud concessum sit. Nam, ut refert Barbosa c. *ad Apostolicam*. 16. h. t. num. 4. ex privilegio Pii V. sub dato Romæ apud S. Petrum 23. Augusti 1570. *Novitii in articulo mortis existentes* ante expletum probationis annum, ut lucentur, atque consequantur indulgentias, possunt profiteri, quod ad literam refert Fr. Ludov. Miranda in Manuali Prælatorum tom. 1. quæst. 22. a. 10. dicens, huiusmodi concessionem non esse revocatam per Gregor. XIII. in sua constitut. incip. *In tanta negotiorum mole*, qua revocavit, quicquid concesserat Pius V. super statu, & regimine Monachorum, & Sanctimonialium contra jus, & contra decreta S. Concilii Trid.

Hujus rationem reddit; quia Gregorius ibi non loquitur de illis gratiis, & indulgentiis, & maxime concessis in mortis articulo Monachis, & Sanctimonialibus, sed tantum de aliis gratiis, & privilegiis spectantibus ad statum, & regimen eorundem Monachorum, aut ipsarum Monialium: idem etiam tenent Henricus in Summ. l. 13. c. 40. §. 2. Fr. Emmanuel qq. Regul. tom. 3. a. 3. Barthol. a S. Fausto in thesauro Religiosorum, l. 3. q. 167. unde merito Ludov. Beja respons. casuum conscientia, p. 4. casu fin. vers. tertio, tenet professionem Novitii factam in mortis articulo esse validam, teneri tamen si convaluerit, & ex ea infirmitate non decesserit, complere postea integrum probationis annum, & professionem de novo emitte.

§. 5.

Qualiter annus probationis debeat esse integer, & continuus?

Communis tenet cum Suarez tom. 3. 2683 de Relig. l. 5. c. 15. quod debeat annus esse sic integer, ut nulla ei dies desit; unde communiter tradunt Doctores, hujus.

jusmodi probationis annum à momento in momentum posse, & debere computari, id est ab hora diei, in quo habitum quis suscepit, usque ad eandem horam ultimi diei ejusdem anni; sic Jacob. *de Graff. tom. 1. consil. l. 3. consil. 6. num. 2. de Regularib. Zanard. in direct. Theolog. p. 2. c. 26. num. 12. vers. nota autem, Less. de just. l. 2. c. 41. D. 7. num. 59. Sanchez l. 1. de matr. D. 16. num. 2. & in præcepta Decalogi tom. 2. l. 5. c. 4. n. 31. in fine.*

2684 Ex hoc ulterius deducunt, si Novitius compleat probationis annum die 24. Februarii anno bissextili, non dici expletum hunc annum, nisi secunda die, quæ etiam appellatur 24. id est, 25. die; quare emitte non posse professionem, nisi eadem die 25. in puncto diei 24. Februarii præcedentis anni, in quo suscepit habitum, arg. *L. 3. §. minorem. ff. de minoribus, & L. cum bissextus. ff. de verb. signif. & c. quæ sit, cod. ita Lessius cit. num. 59. & complures alii apud Barbos. in Trid. sess. 25. de Regular. c. 15. num. 21. Contrarium tamen probabilius censet Pirhing h. t. num. 37.*

2685 Pro explicatione hujus not. difficultatem controversiæ nasci ex dubio, qualiter tempus à jure præfixum sit numerandum? an nimirum sufficiat diem ultimum ejus temporis esse cœptum? an exigatur, illum esse elapsum? Ad hoc respondet Pirhing h. t. num. 37. primum dicendum, quando materia est odiosa, si nimirum minuit favorem, vel auget onus, & gravamen; secundum autem; quando tempus apponitur in favorem, ut intra illud aliquid liceat agere, vel proponere; non autem post illud elapsum.

2686 Utrumque probat exemplis. Nam beneficium restitutionis in integrum competit Minoribus usque ad 25. ætatis annum completum, non autem post illum elapsum; ut ei negetur, non sufficit, diem ultimum anni 25. esse cœptum; sed etiam adhuc ultimâ illius diei hora peti potest; quia prorogatio temporis (ut non obstet, nisi sit physicè elapsum) continet favorem Minorum, quem directè quærit lex intra illos annos, ut eis liceat petere restitutionem. Econtra, cum lex, quæ impuberibus negat factionem activam

restamenti; vel receptionem Ordinum ante præscriptum tempus, &c. minuat favorem, & augeat onus expectandi, in illis casibus sufficit dies ultimus cœptus; sic ille, propterea volens in anno bissextili alterum diem hujus anni non computari; sed tantum numerari dies 365. sicut in anno communi; atque adeo sufficere ad validam & licitam professionem, quod ultimus dies ex illo numero cœptus sit; cum, si deberet expectari ultra, minueretur favor professionis, & augetur onus.

Cœterum, quidquid in præfens sit de 2687 his regulis; videtur dici posse, attendendum ad temporis præfinitionem, nimirum, an dicatur *non ante* (v. g. ante 25. non recipiatur ad ordines) vel, an dicatur *intra hoc tempus*, non autem *post*; ut est in casu concessæ Minoribus restitutionis in integrum; vel *non minore tempore*, ut in casu nostro; in primo enim communiter conceditur, sufficere diem illius anni (v. g. vigesimi quinti) esse cœptum; quia sic verè, ac propriè verificatur, quòd non recipiat ordines ante 25. ne scilicet extensio fiat ad annum illum completum, cum sic contineat gravamen; in altero autem, cum dicitur *intra hoc tempus*, quando prorogatio temporis continet favorem, & dispositio favorabilis est (ut contingit, si intra certum tempus petatur restitutio, aut fiat appellatio) communiter accipitur cum extensione ad ultimum etiam terminum illius temporis, v. g. etiam ultima hora illius; demum in casu, ubi disponitur, ut aliquid fiat, nisi præcesserit tempus non minus anno, triennio, &c. probabilius videtur exigere tempus illud physicè completum; hoc enim sonat, *non minore*, quod verum non est, si quid ex eo desit; unde probabilius videtur, per se loquendo, ut quis ad professionem validè emittendam admittatur juxta mentem Tridentini; annum probationis debere esse completum, ne quid ex eo desit; aliàs enim non existeret in probatione tempore *non minore*, anno; quamvis hoc sufficienter verificetur, licet non computetur dies anni, cum duo dies pro uno sumuntur, de quo supr.

Dixi,

2688 Dixi, per se loquendo, requiri annum probationis esse verè completum; nam in certis casibus sufficit minus tempus; primum casum ponit Barbof. in Sefs. 25. Trid. de Regul. c. 15. n. 18. ubi ait de nulliter Professo, volente suam professionem ratificare, eum non teneri novitiatus annum iterare, si aliàs fuit validus, resolvit à Sanchez de matrim. l. 7. D. 37. n. 45. & Pereyr. in Comment. ad const. Cleric. Reg. p. 2. c. 1. lit. C. §. 2. Si verò Novitiatus fuit factus post pubertatem, & fuit continuus, non esse iterandum, ex quacunq; causa sit irrita professio, tenent Sanchez D. 37. n. 47. & in præcepta Decalogi l. 5. c. 14. n. 14. Azor institut. moral. p. 1. l. 12. c. 1. q. 6. Barth. à S. Fausto in thesauro Relig. l. 5. q. 97. Verùm in dato casu non deficit quicquam ex integritate anni probationis; rectius assertur, quod Barbofa cit. n. 19. ait nimirum Monialibus Ordinis S. Dominici habentibus sedecim annos (in mortis articulo constitutis profiteri posse, etsi nondum integrum novitiatus annum peregerint) concessum à Pio V. in quodam motu proprio incip. *summi sacerdotii cura*, cujus tenorem refert Fr. Emman. qq. regul. tom. 3. q. 15. a. 6. ubi subdit, hoc hodie fieri posse, dicens non esse revocatum à Gregorio XIII. & tradunt idem Fr. Emman. in Summ. tom. 4. cap. 63. num. 5. Lud. Miranda in Man. Prælat. tom. 1. q. 22. a. 10. Sanchez cit. lib. 5. cap. 4. n. 16. Barthol. à S. Fausto, in Thef. Relig. l. 5. q. 167.

2689 Eundem probationis annum debere esse *continuum*, nec sufficere interpolatum, seu interruptum docent Suarez tom. 3. de Relig. l. 5. c. 15. à n. 3. Sanchez tom. 2. in Decal. l. 5. c. 4. à n. 31. Azor p. 1. l. 12. c. 2. q. 8. & complures alii; nam aliàs non verificatur, quòd *non minore* tempore, quam per annum, steterit in probatione; ubi enim jus exigit certum tempus, nisi vel ex subjecta materia, vel aliunde oppositum colligatur, intelligitur tempus (v.g. *annus, mensis, dies*) productum *continuum*; hoc enim est secundum temporis naturam; potissima difficultas est, quibus casibus, vel actibus interrumpatur sic, ut talis annus non censetur *continuum*, prout exigitur, ut professio validè subsequatur?

Tom. III.

Cardinalis de Lugo in responsis 2690 moralibus lib. 3. dub. 2. tangit hanc questionem sequenti casu ibidem proposito: quidam, inquit, Novitiatus, post 21. dies à suo ingressu, relicto habitu, sponte discessit animo non redeundi; sed, elapsis septem diebus, rediit, & obtento iterum habitu, Novitiatus profectus est, & elapsis undecim mensibus, & decem diebus; qui cum illis 21. diebus annum integrum faciebant, bona fide Professionem emisit, ac postea per quindecim alios annos in Ordine permansit, factusque ibi Sacerdos, omnes Professorum actus, etiam Capitulares, gessit, nunquam tamen Professionem positivè ratificavit, de cujus quippe valore dubium nunquam illi occurrit. Sub hoc quæsitum est, ait, primò, an Professio valida fuerit? secundò an saltem postea Professio tacita intervenerit? tertio, quia dubitat, quòd Conventus nunc non facilè novum consensum præstabit, an non requisito novo consensu, possit nunc primam Professionem ratificare saltem coram Prælato, & testibus? quartò quid tandem faciet, ut validè profiteatur? quinto denique, an ad hoc necesse sit, annum integrum probationis denuo præmittere; an verò sine novo anno Novitiatus possit prior Professio statim ratificari?

Cum autem ex dictis quæstionibus 2691 ea, quæ quinto loco ponitur, tangat specialiter materiam interruptionis, quæ annus desinat esse *continuum*, v. communitè à Doctoribus tradi, per voluntarium Novitiatus egressum à Religione, animo ad eam non redeundi, omnino desinere annum esse continuum, prout exigitur, ut præcedat validam professionem; quia tamen dubitatur, an quicunq; talis egressus, nondum expleto probationis anno, etiam paucorum dierum, ita discontinuet annum, licet egrediens, penitentià ductus, redeat, ut prius tempus cum subsequenti non possit continuari? respondet cit. Cardinalis n. 2. quamvis aliqui judicent interpolationem brevem non nocere, id tamen reprobandum Suarez tom. 3. de Relig. tr. 8. l. 5. de ingressu Religionis, c. 15. n. 6. & Sanchez in Decalog. c. 4. n. 32. & in casu nostro res est extra controversiam, cum interruptu-

Iiii terru-

terruptio fuerit per septem dies, quæ à nemine parva interruptio æstimatur.

2692 Dices: Suarez cit. apud Cardinalem de Lugo n. 8. censet probabile, posse computari tempus præcedens, additis postea diebus, qui ad annum deerant; quia non videtur fieri interruptio *moralis*; cum semper fuerit continuatus status, & habitus religiosus, quod etiam pro comperito supponit Sanchez l. 7. de *matrim. Disp. 37. n. 50.* cum communi. 32. Patrem Suarez loqui de continuatione Novitatus cum priori tempore, quæ fit continuando professionem existimatam in casu proposito n. 2689. ad quod exigit, ut continuatio subsequenter temporis, cum priori ante egressum, fiat sciente Novitio, & Religione nullitatem professionis emissæ prius, ut posterius tempus, de utriusque consensu continuetur, & fit eurrat; cum prior voluntas, qua ingressus & receptus est, nec habitualiter perseveret, utpote revocatus per dictum egressum.

2693 Caterum etsi probabiliter hoc dicatur, ut vult Suarez relatus à Card. de Lugo, & concedatur, quod, ut annus probationis sit continuus, sufficiat esse *moraliter* continuum; difficile tamen videtur, quomodo tempus ante egressum ex Religione, animo non redeundi, possit dici *moraliter* continuari cum subsequenti post reditum; cum animus probandi religionem, secuto tali egressu sit revocatus; unde etiam communiter tradunt Theologi in materia de peccatis, illos actus esse moraliter discontinuos, nec priorem continuari etiam moraliter cum posteriore, si inter hunc & illum intercessit pœnitentia super priori; & ideo, ut notavimus antè, etiam Suarez, & Sanchez reprobandam opinionem illorum, qui tradunt, egressum à Religione nondum finito anno Tyrocinii, licet ad breve tempus, factum animo non redeundi, obstare continuationi anni probationis, prout exigitur ante professionem. Aliud est, si Novitius post aliquod tempus, cum Facultate Superioris, ad tempus aliquod, ex iusta causa (v. g. curandæ valetudinis, vel auræ mutandæ) de Monasterio exeat retento animo juxta superiorum voluntatem semper redeundi; sic enim perseverat in obedientia, quam

probans religionem eo tempore debet Superiori, quæ maximè probatur Novitius.

Alia quæstio est, an, si quis finito probationis anno, dimittatur ad seculum, & acceptet dimissionem, licitè admittatur ad professionem, si facti pœnitens statim redeat, & recipiatur? idem est, si ipse finito Novitatus anno exeat. 12. affirmativam tradi à P. Sanchez lib. 5. in *Decal. c. 4. n. 34.* Thesaurus in praxi Ecclesiastica part. 2. V. *Professio c. 1.* Lezana p. 2. V. *Professio. n. 10.* quia tali casu professio fieret exacto probationis anno, ut exigit Tridentinum; ergo, quantum est ex hoc capite, non fieret invalide; nec enim requiritur, ut Novitatus, & Professio fiant intra tempus continuum; cum id nullo jure requisitum sit; modo interim nulla morum, aut habilitatis mutatio intervenerit, cujus causâ egeret novâ probatione; & hoc videtur probabilius opposito.

Eandem quæstionem movet Cardinalis de Lugo l. 4. *Respons. moral. dub. 1. de eo*, qui post absolutum Novitatus biennium in Societate ante votorum nuncupationem sponte digressus, vel post vota emissæ, vel à Religione dimissus legitime, intra breve tempus redit, & recipitur; an indigeat novo probationis biennio, ut ad vota, quibus constituitur verè Religiosus, admittatur. 1. si prius non emisit ea; 2. si quidem emisit, sed soluta sint per legitimam dimissionem? Ad hoc respondet citatus Cardinalis, n. 3. pro se allegans P. Suarez tom. 4. de *Relig. tr. 10. l. 2. c. 4. n. 8.* non posse ante aliud biennium probationis exactum admitti ad vota substantialia emittenda, quibus substantialiter Religiosus constituitur. Rationem dat à paritate professi in uno ordine (v. g. in Soc.) & sub hoc cum legitima facultate professi in alio ordine; si enim, inquit, talis impetret facultatem redeundi ad Societatem, & rediret, deberet denuò profiteri in Soc. (prior enim professio vel extincta, vel commutata est in aliam in altera Religione) nec ad professionem novam in Soc. recipi posset sine nova, saltem unius anni, probatione; quin illi prodesset prior probatio in eadem Soc. ergo similiter in casu nostro dimissus à Societate post

post vota biennii, & postea iterum receptus, debet præmittere Novitium, antequam per vota substantialia incorporetur; ratio enim est eadem in utroque casu: quia sicut Professio facta in secundo Ordine extinguit professionem factam in Societate, & consequenter probationem præcedentem: ita dimissio à Societate extinguit vota, & consequenter probationem præcedentem: nec apparet, cur magis extinguatur probatio præcedens, quando extinguitur professio Societatis per professionem alterius Ordinis, quam quando extinguitur vota substantialia, quibus homo constituebatur Religiosus Societatis, per dimissionem legitimam, per quam ex Religioso fit non Religiosus; sic de Lugo.

2696 In hac probatione concedo primam professionem in una Religione (v. g. in Societate) omnino extinctam, vel commutatam fuisse in aliam, quæ secuta est in alia Religione; & in hoc etiam rectè argui per dimissionem à Societate legitime factam, post emissã vota biennii, extincta esse illa vota; sed simul etiam extinctam esse probationem primæ professioni, vel votis biennii præmissam, spectato jure communi, & Tridentino, negotum P. Sanchez & aliis DD. relatis supra; per hoc enim, quòd quis præscripto tempore ritè probatus, voluntate Religionis legitime abeat ex Religione, non definit esse verum, eum non minore tempore, quam unius anni, stetisse in probatione, quod solum exigitur ad legitimam professionem in tali Religione, quantum pertinet ad tempus necessariæ probationis; dixi: spectato jure communi, & Tridentino; aliud enim est, si hoc exigat particularis Religionis institutum, vel consuetudo; tum enim in tali casu secundum ea jura resolvendum erit; de quo V. Card. Lugo citat. dub. 1. num. 6. & dub. 2. num. 2.

§. 6.

Qualiter impuberes possint assumere Religionis habitum vel suã, vel parentum oblatione?

2697 Non loquimur de oblatione vel ab ipsis impuberibus, vel à parentibus facta, quæ vim habeat oblatum constituendi verum Novitium talis Religionis, Tom. III.

ante completam pubertatem; annus enim probationis ante completum hoc tempus invalide inchoatur jure novo, ut dictum est *supr.* & colligitur ex c. 1. h. t. nec etiam loquimur de casu, quo impuberes emitterent votum ingrediendi religionem tempore habili: posse illis quoque in ea ætate concedi habitum Religionis etiam intra Monasterium, ut à mundi vanitate abstracti, regulari vitæ asuescant, docet S. Thomas 2. 2. q. 187. a. 5. quin tamen illud tempus pubertati completæ prævium computetur in tempus integræ probationis annuæ.

Quæstio autem est. 1. an parentes 2698 possint liberos suos impuberes offerre Religioni, non tantum ut habitum deferant ex sine, de quo num. præced. ex S. Thoma; sed etiam ut suo tempore fiant Religiosi? 2. quem effectum habeat talis oblatio parentum? 3. an hæc oblatio à parentibus fieri possit etiam invitis liberis? 4. an à Matre, vel Tutoribus? Ad 1. v. affirmativè ex 20. q. 2. c. 1. ibi: *Parentibus sanè filios suos religioni contradere non amplius, quam usq. ad quartumdecimum eorum ætatis annum licentia poterit esse: postea verò, an cum voluntate parentum, ansua devotionis sit solitarium votum? erit filiis licitum Religionis assumere cultum.*

Ad 2. v. id potissimum colligi ex c. 2699 *si quis 2.* h. t. quòd desumptum est ex Concilio Moguntin. & ita habet: *si quis ante annos legitimos tonsuratus est sine consensu parentum suorum: si parentes ipsius intra annum non reclamaverint ad Principem, aut proprium Episcopum, vel ad Missum Dominicum, in Clericatu permaneat: Si verò post legitimos annos, per vim Clericus factus est, & nec ipse, nec parentes eis intra annum: ad memoratas personas reclamaverint, in Clericatu permaneat. sicut is, de quo superius dictum est.*

Nam ex cit. juribus habetur, quòd, si 2700 quis liberorum de consensu parentum ante completam pubertatem religionem ingressus est, ipsum ille non possit eum revocare post annum ingressus; secus antequam elabatur annus, si ingressus sit sine ipsorum consensu: prima pars est ex textu in 20. q. 2. c. *si in qualibet 1.* ibi: *si in qualibet minori ætate, vel religioni debitam vestem, vel religionis tonsuram in*

utroq; sexu filiis aut unus, aut ambo parentes dederint forte, aut nolentibus, aut nescientibus sese susceptam, non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia, palamq; in conventu eisdem filiis talia habere permiserint, ad secularem reverti habitum filiis ipsis quandoq; penitus non licebit; sed convicti, quod consueverint, aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum, habitumq; revocentur, & sub extrema distinctione huiusmodi observantia inservire cogantur. Si autem ingressus est sine ipsorum consensu, & parentes intra annum non reclamant, idem dicendum est, nisi adeant Principem (hoc est Pontificem) vel proprium Episcopum, vel Missum Dominicum, sic c. si quis; ubi nota per Missum Dominicum intelligi Episcopi Vicarium, ut vult Pirhing h. t. num. 50. ex gloss. in c. si quis V. Missum; esto per eum Gonzalez ibid. n. 5. intelligi velit delegatum à Principe (hoc est, Pontifice, ut notat n. 3. V. ad Principem) missum: ratio secundæ partis est, quia ante completam pubertatem liberi etiam in hoc subfunt potestati parentum; unde etiam vota impuberum (emissa sine ipsorum consensu) irritare possunt parentes; cum in hac ætate subfint ipsorum dispositioni; dixi intra annum; secus enim præsumuntur ratificasse illorum voluntatem ex c. si quis.

2701 Not. autem annum, de quo in præfenti, computari à die, quo sciunt ingressum sine suo consensu factum; quamvis prorogari possit hoc tempus, si parentes iusto impedimento detenti sint, quò minus intra annum scientiæ reclamant. Not. 2. quando dicitur, parentibus ad reclamandum concedi annum integrum, intelligi; si toto illo anno liberi, maneat adhuc impubes; secus à tempore, quo jam sunt puberes; quia tunc in ordine ad electionem statùs sunt sui juris; hinc solum tempus superstes ad pubertatem nondum completam illis ad reclamandum indulgetur, V. Sanchez l. 4. Summæ, c. 18. Not. 3. signatè dici, parentes posse reclamare contra liberorum ingressum in Religionem in impubertate sine ipsorum consensu; ut notetur, eos non posse vi eos extrahere de Monasterio; cum hoc sit contra reverentiam,

& immunitate loci; unde tali casu facultas solum est reclamandi; & si hoc non juret, adeundi Superiorem per c. si quis.

Not. 4. liberos à parentibus Religio- 2702 ni oblatos in impubertate, non posse ante adeptam pubertatem ab illa recedere, invitâ Religione, etiam volentibus eorum parentibus; quia Religioni ad eos retinendos usque ad eam ætatem jus acquisitum est; cui tamen Religio renuntiare potest, ac eos, etiam ante pubertatem, rejicere. Si autem sine consensu parentum impubes ingressi sint, abire possunt liberè ante professionem ex c. significatum. 11. h. t. nam talis ingressus sine cum, five sine consensu parentum, non facit Monachum, etiam gettato habitu, ante pubertatem; quod etiam procedit, postquam oblatus à parentibus in impubertate, facti sunt puberes; per c. cum simus. 14. eod.

Ad 3. & quamvis negativa suis etiam 2703 gravibus fundamentis à ratione petitis non careat, ut tenet Abbas in c. 1. h. t. n. 9. Sanchez l. 4. moral. c. 18. n. 26. contrarium tamen ceteri probabilis sic, ut taliter oblatus in Religione, cui oblatus est à parentibus, permanere debeat, donec pubertatem compleverit; pro hac opinione refertur Suarez cit. l. 5. c. 2. n. 3. Fagnanus c. Cum Virum 12. h. t. à n. 29. Mihi tamen videtur iuste dubitari posse, an affirmantium opinio probabilis fundetur in eo capitulo; ibi enim solum deciditur, quòd filia minor duodecim annis, à parentibus Monasterio tradita, si major facta sponte veletur, ad seculum redire non possit; sic enim etiam exponitur in ipsa rubrica; tum etiam à pluribus, quos citat, & sequitur Barbof. ibid. n. 1. qui casus longè diversus est ab eo, super quo versamur in quæstione proposta. Casus in c. Cum virum, loquitur de oblatione parentum, dum filia esset impubes; & facta pubes sponte consensit in suavelationem, quâ tacitè inducta est professio; & quæritur, an hoc posito possit redire ad seculum? definiturque, quòd non; at casus noster loquitur de oblatione parentum, dum filius, vel filia esset impubes, non consensit, sed invitata est in talem oblationem, etiam non inductivam professionis; & solum quæritur, an talis debeat expectare pubertatem com-



majora sint, five minora, cum textus indistinctè loquatur de *beneficio*, & quidem in materia spectante favorem Religionis; unde Sanchez *tom. 2. in Decal. l. 7. c. 4. n. 3.* id extendit etiam ad pensiones; qui *n. 6.* ait; hoc procedere, licet Novitiatus pluribus annis duraret, pro ut in nostra Societate durat biennio; an autem durante Novitiatu possit ipse renuntiare beneficio? sub opinione est, affirmante Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episcopi, allegat. n. 99.* cum Garcia de *benefic. p. 11. c. 9. à n. 12.* negante communi cum Azor *p. 2. l. 7. c. 20. q. 6.* Sanchez *cit. c. 5. n. 38.* propter Trid. Sess. 25. de Regul. c. 16. de quo infra.

2709 Not. 2. inter casus in textu exceptos ab aliquibus numerari. 1. ex illis verbis: nisi constet, quod vitam voluerit absolute mutare; ex hoc enim infert Barbosa in *cit. c. Beneficium n. 5.* quod propositum mutandi vitam cum habitus susceptione censetur votum solenne, per Sayrum in clavi Regia, *l. 6. c. 1. n. 7.* ad votum enim duo tantum sufficiunt, deliberatio, & propositum, ex Azor, *instit. moral. p. 1. l. 11. c. 13. n. 5.* sed hoc rectius negatur, nisi propositum firmatum sit promissione, ut notavimus *n. 2076.*

2710 Alter casus exceptus est, si fecit professionem; circa quod observant alii, à Religiosis Soc. JESU possessionem beneficiorum prius obtentorum amitti post emissam solemnem professionem, vel vota coadjutorum formatorum, per quæ redduntur omnino incapaces bona, & jura quæcunque acquirendi, & retinendi; non autem, per emissionem simplicium verborum biennii, per quæ juxta dictæ Societatis constitutiones, à Sede Apostolica approbatas, tales Religiosi non sunt incapaces retinendi dominium bonorum, & beneficia, quæ in seculo habebant, ut habetur in dictæ Societatis constitutionibus *p. 4. c. 4. §. 5.* in declarat. lit. E, & *p. 6. c. 2. §. 11.* in declarat. lit. E, & in Constit. Gregorii XIII. incip. *Ascendente Domino*, sub dat. 8. Cal. Junii 1584. *vers. & licet qui ad gradus professorum.*

2711 Idem dicendum est, pensiones prius obtentas eorum per dicta biennii vota non extinguere, sicut dictum est de beneficiis; quia textus in præsentibus, intelligitur

de omnibus beneficiis, secundum Archid. hinc in princ. Monald. *consil. 159. n. 22. vol. 2.* & ideo ita resolvit Sanchez in præcepta Decal. *l. 7. c. 4. n. 7. & c. 27. n. 32. & c. 29. n. 10.* qui tamen *cit. c. 29. n. 10.* tradit, eisdem finito probationis biennio, antequam vota simplicia emittant, beneficia prius obtenta resignare; pensiones tamen retinent usque ad solemnem professionem, vel vota coadjutorum formatorum, ut observatur in praxi, de qua testatur Sanchez ex decreto Congreg. generalis, can. 5.

Not. 3. quoad casum factæ professionis vel expressæ, vel tacitæ, ut hodie procedat solum, supposito Novitiatus tempore completo, & post annum ætatis 16. emissæ, propter decretum Concilii Trid. de quo jam superius actum est; unde dispositio dicti c. *Beneficium* procedit in hoc casu solum attentò jure antiquo, ubi professio fieri poterat post pubertatem completam.

Not. 4. in casu, quo egrediens Religionem habet beneficium, tunc cum clausula, *ut vacet, si beneficiatus per aliquod tempus abst.* non esse locum dictæ clausulæ propter absentiam causæ probationis in Religionis ingressu, ut notat Sanchez *cit. l. 7. c. 4. n. 4.* talis enim fundatio, nisi aliter derogativè expressum sit, intelligitur conformiter ad jus commune.

Not. 5. in quæstione versari quoque illud, an, si contingat vacare Ecclesiam, in qua Canonicus, vel Beneficiatus, virtute sui beneficii habet jus eligendi, possit interesse electioni, dum est in Novitiatu? 1. quantum est vi juris sibi competentis, posse; cum etiam durante Novitiatu ei debiti sint fructus sui beneficii, inter quos etiam est eligere Prælatum Ecclesiæ vacantis. An autem sit necessarium ad electionem vocandus, sic, ut aliàs titulo præteritionis possit agere contra electionem se absente, ac non vocato celebratam, in dubio est; vocandum esse, si per leges Tyrocini in Religionem, quam probat, ei conceditur, videtur dicendum, ne privetur jure suo in exercitio actus sibi de jure competentis; secus verò, si non conceditur; nam sic per ingressum Tyrocini, talis Religiosis mentò censetur renuntiasse pro tali eventum

eventu juri, quod habet pro tunc ad eligendum.

2715 Aliqui tamen distinguunt inter jus eligendi, quod habet vel jure Collegii, de quo est, & consideratur tanquam pars ejus, vel speciali, puta ratione suæ dignitatis, talis beneficii, aut alio simili titulo; & in primo casu censent, non esse necessario vocandum, quando id facile fieri non potest; quia sic per ipsum Collegium electio commode celebrari potest; in secundo autem secus; quia revera etiam post ingressum religionis, sed ante professionem, retinet omnia jura sibi competentia, nec eo absente exercitium talis actus ritè celebrari potest; sic gloss. in dict. c. Beneficium. V. Conferendum; Sanch. cit. c. 4. n. 12. & alii.

2716 An autem, & qualiter Novitii gaudeant privilegio fori, & canonis? aut privilegis suæ Religionis, in ejus probatione versantur? alibi dictum est, & communiter affirmatur cum Castropalao tom. 3. D. 1. p. 11. ceterum duo adhuc quæri possunt; an Novitii obligentur statutis Religionum, vel præceptis Superiorum: 2. an, sine justa causa, ex anno probationis à Religione dimitti possint invitati? Ad 1. 12. non obligari directè, ac per se loquendo; nimirum sub culpa naturali, seu conscientia; obligari tamen ex decencia, & honestate; ita Suarez tom. 3. l. 5. c. 16. & alii; ratio primæ partis est; quia nondum sunt Religionis membra. nec etiam professi, vel ad ejus regulam obligati voto ipsos constituentem vera Religionis membra: ratio secundæ partis est, quia id exigit ratio eos convenienter gubernandi, & probandi; unde ligantur saltem ad pœnam à Superioribus decretam contra transgressionem eorum, quæ illis ad peragendam Religionis probationem præscripta sunt.

2717 Dixi eos, per se loquendo non obligari naturaliter, & directè statutis earum Religionum, & præceptis Superiorum; quod sic accipiendum est, ut non excludatur obligatio etiam naturalis parendi præceptis impositis à Superiore Religionis, in quantum procedunt non à voto, sed à spirituali jurisdictione relatè ad omnes, qui sunt in tali domo, vel ordine regulari, quam diu ibi sunt; qualiter Clericus, qui nec origine, nec domi-

cilio est diœcesanus hujus v. g. Episcopi, nihilominus subicitur jurisdictioni ejus Ecclesiasticæ, ac spirituali, dum est in ejus diœcesi; ita Suarez cit. c. 16. n. 18. Sanchez cit. c. 10. à n. 11. & alii.

Ad 2. 12. negativè cum Suarez cit. 2718 l. 5. c. 11. n. 5. & aliis; nam hoc pertinet ad justitiam distributivam, rectamque dispensationem ministeriorum spiritualium, & administrationem, ne digni & habiles, postquam ad Religionis probationem admissi sunt, ab ea, sine justa causa rejiciantur. Si dicas: ingrediens & probans Religionem liberè potest ab ea discedere ante vota, licet Religionem videat sibi congruentem; ergo vicissim recipiens ad ingressum, & probationem Religionis liberè potest ab ea illum dimittere, ante vota, licet videat illum Religioni congruentem: 12. N. consequens nam justitia distributiva non necessario importat obligationem reciprocam; dignus enim non tenetur recipere, quod alter vi suæ administrationis, quantum est ex parte sua, servatà lege justæ distributionis, tenetur dare.

### ARTICULUS III.

De renuntiatione bonorum tempore Novitiatu.

DE hac quæst. extat specialis dispositio in Concilio Tridentino Sess. 25. de Regularibus, cap. 16. nam postquam c. 15. dixisset, quod nullus ad professionem admitti debeat, qui minore tempore, quam per annum, in probatione steterit; nec professio, ante annum ætatis decimum sextum completum facta valeat, aut ullam obligationem pariat; c. 16. subjungit: *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causa pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac, non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus.*

Sub hoc, postquam mandasset, ut finito tempore Novitiatu, Superiores, Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, antè Monasterio eos ejiciant & declarasset, quod per hzc

hæc sancta Synodus non intendat, aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JESU, juxta primum eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possit: decretum prosequens, subjungit: *Sed neg. ante professionem, excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiae illius temporis, quo in probatisne est, quocumq; pretextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit; quin potius præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, quod ut rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.*

2720 Pro explicatione hujus decreti not. 1. in eo sermonem esse de renuntiatione bonorum temporalium, qua irrevocabiliter ea cedant, seu transferant in alium, etiam professione non secuta; ita Sanchez l. 7. moralium, c. 5. à n. 13. quamvis per textum Concilii videatur sufficere, quod non nisi difficulter donata reciperet. Unde non prohibentur condere testamenta, vel donationes causâ mortis, semper revocabiles ante mortem, etiam à tempore Novitiatus. Not. 2. Novitios, posse validè, ac licitè profiteri Religionem, nullâ etiam renuntiatione, vel dispositione prius facta super bonis suis temporalibus; nullo enim jure talis professio vel irrita, vel illicita declaratur, aut dicitur; ubi tamen nota, quod in ejusmodi eventu in ea succedant hæredes ejus ab intestato, si professus est Religionem incapacem etiam in communi habere bona temporalia; secus autem si capacem, ut diximus supra; quibus prænotatis:

2721 Quæstio. 1. est, an attento illo decreto Tridentini valeret donatio facta ante religionis ingressum, nullo intuitu religionis capeßendæ? 2. si intuitu talis ingressus? 3. an valeat renuntiatio, vel donatio Novitii, etiam completâ ætate professioni necessariâ, sed ante

duos menses, proximè præcedentes professionem, facta sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii? 4. an valeat talis donatio facta sub conditione securæ professionis, secus non habitura effectum? 5. qui actus propriè veniant sub nomine renuntiationis prohibita hoc decreto?

Ad 1. præmittendum est, hoc decretum annullare omnem renuntiationem, vel obligationem Novitiorum, etiam juratam, vel in favorem cujuscunq; causæ piæ factam, vel susceptam sine his conditionibus. 1. si fiat sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii; 2. si non fiat intra duos menses proximos ante professionem, ut aperte constat ex textu; expressè enim dicit, *nulla renuntiatio, vel obligatio antea facta valeat*; cuius ratio videretur potissima, ne per hoc, si Novitius à Religionis Tyrocinio discedere vellet, id propterea illi difficilius reddatur, quod majorem partem substantiæ suæ jam Monasterium, vel alii possideant, & difficilius recuperet, si exeat, adeoque non plena libertatè profiteretur, ut colligi potest ex verbis decreti supr. in n. 2719. quo posito: *ad 1. talem alienationem non comprehendit sub hoc decreto, quod solum respicit casum ingressus, ne ingresso per ejusmodi bonorum alienationem difficilius egressus reddatur.*

Ad 2. R. talem donationem, quam quis facit ante ingressum Religionis, non facturus, nisi ingrederetur Religionem, comprehendit sub hoc decreto; ita tenent Molina de jure, & just. d. 139. & 149. Parisius de resign. benefic. l. 3. q. 13. n. 9. Azor p. 1. l. 13. c. 9. q. 2. Lessius l. 2. c. 41. à n. 39. & alii; & 1. quidem, si fiat purè, ingressu scilicet non habente vim causæ, nisi impulsivæ; sic enim foret irrevocabilis; 2. esto haberet vim causæ finalis, & motivæ, consequenter non secuta professione revocari posset, tanquam datum ob causam causâ non secuta; quia difficiliorem redderet egressum.

Dices cum aliis oppositum probabiliter tenentibus apud Barbosam in dict. c. 16. n. 18. illa verba: *nulla renuntiatio antea facta valeat*, sine solennitate ibi præscripta, intelligi de renuntiatione facta

facta post ingressum Religionis; non autem de facta ante ingressum, ac proinde secularem ante habi. us susceptionem, & Novitiat. us ingressum, posse etiam inuitu ejusdem ingressus validè de suis bonis disponere; illa renuntians, donando, seu obligando, absque solennitate in hoc decreto perita; sed & negando illam expositionem, vel distinguendo, & admitto Concilium loqui de renuntiatione facta post ingressum; sed non unice; cum enim dicat, *nulla renuntiatio antea facta valeat*, & deinde causam reddat, quod exinde, si *valeret, difficilior illi* (cui liberum esse vult egressum ex Religione ante professionem) *reddatur egressus*, & propter hoc ejusmodi renuntiationes annullat, *Ly antea facta*, potius appellat supra quamlibet renuntiationem, quæ fit causâ ingressus in Religionem.

2725 Ad 3. 12. negativè; nam vi ejus decreti, nulla donatio, vel renuntiatio ingredientis religionem valet (in quacunque tunc aetate sit donans, aut renuntians) quæ fit ante duos menses professioni proximis sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii; ita Sanchez l. 7. Decal. c. 5. n. 17. qui etiam ibidem negat, valere renuntiationem factam sub conditione secuturæ professionis; quia licet eâ non secutâ simpliciter corruat talis renuntiatio, conditione nimirum non subsistente; difficilior tamen ei redditur egressus, metu indignationis eorum, quibus per egressum admittitur spes purè obtinendi bona, quibus factò egressu carebunt. Nec idem est in ultimis voluntatibus, semper revocabilibus, esto maneat in Religione; cum tamen talis renuntiatio revocetur. *solo egressu*; ex quo habetur responsio ad 4.

2726 Ad 5. 12. nomine renuntiationis in decreto prohibita venire quamlibet dispositionem inter vivos, quæ in renuntiantem inducit obligationem alteri cedendi aliquid in magna quantitate de bonis suis irrevocabiliter, aut non nisi cum difficultate reddente illi difficilior egressum à Religione in eorundem recuperatione, nisi per talem dispositionem tantundem recipiat; quantum dat de suo, ut fit in permutatione, vel venditione bonorum; adeoque donatio-

Tom. III.

nem inter vivos, mutuum factum Monasterio, contractus lucrativi, quibus obligetur Novitius; &c. non autem locationis, & similibus tantum reddentibus danti; de quibus plura Sanchez l. 7. c. 5. Suarez tom. 3. l. 5. c. 9. & alii. Dixi, *in magna quantitate*; nam 2727 donationes modicæ, vel etiam solutio victus, & vestitus durante Novitiatu, videntur non comprehendi sub illo decreto, prout colligitur ex ejus verbis, ubi: *ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec faciat, si discesserit, id recuperare possit*; & quoniam in eodem decreto non prohibentur propinqui dare aliquid Monasterio, nisi ex bonis ejusdem, nimirum Novitii, vel religionem ingressuri, non est invalida, vel illicita donatio, quam ejus parentes, vel propinqui de suis, non Novitii bonis, faciunt Monasterio; nec taliter donata, licet à Religione Novitius discedat ante professionem, restitutioni obnoxia sunt; cum textus solum velit omnia restitui, quæ sua erant, nempe Novitii.

2728 Quæstio 6. est. an valeat renuntiatio, qua Novitius in favorem Religionis renuntiat, & cedit hæreditatem paternam, vel maternam sine horum consensu, si fiat juxta formam Tridentini, esto ea nondum sit obtenta, sed solum in futurum deferenda? 7. an renuntiatio bonorum secundum formam Concilii facta corruat, si Novitius moriatur, antequam professionem emitat? 8. an talis donatio, vel renuntiatio legitimè facta revocari possit à Novitio, antequam profiteatur? 9. an subsistat talis donatio juxta formam Tridentini à Novitio minore facta sine authoritate Curatoris, & decreto Judicis? 10. qualis debeat esse licentia Episcopi? 11. an facultas dandi licentiam possit delegari? 12. an hæc solennitas requisita licentiæ adhuc sit in usu? 13. an renuntiatio fieri debeat ante ultimum bimestre proximè præcedens professionem? 14. an sufficiat eam fieri etiam finito Novitiatu, sed ante professionem? 15. an ad hoc decretum de renuntiationibus Novitiorum comprehendat Novitios cujusvis Religionis?

Kkkk

Ad

2739

Ad 6. *re.* affirmativè, juxta sequentes limitationes; quia talis renuntiatio nullo jure irritatur; quam enim hereditas nondum obventa, sed solum in futurum deferenda invalidè cedatur alicui alteri personæ particulari sine consensu ejus, de cujus hereditate agitur per hujus mortem confirmata, vel juramento, quo vestiatur, ut dicitur c. 2. de pactis; quia præsumitur periculum machinandi alienæ vitæ insidias; hæc tamen præsumptio locum non habet, ubi cessio fit alicui communitati quæ tali; sic enim non fit singulis; manus autem, si Collegio Clericorum, vel Regularium, *absit* enim (ut ait Anterus Papa scribens ad Episcopos Hispaniæ, ut habetur II. q. 3. c. 14.) *absit, ut quidquam sinisterum de his arbitremur, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, &c.*

2730

Circa quod not. ulterius, cum Tridentinum loquatur de renuntiatione imponente Novitio aliquam obligationem, videri sub eo decreto non comprehendendi conventionem filii cum parente, in favorem hujus renuntiantis hereditati paternæ, hoc pacto, ut in recognitionem hujus gratuitæ renuntiationis, si eam facere per Ordinis, quem probat, leges cogitur, teneatur dare aliquam pecuniæ summam alicui loco pio; ita censet Layman lib. 3. Summæ, tract. 5. cap. 7. quæst. 5. num. 14. sic enim Novitius nullam subit obligationem, nisi renuntiationis ex constitutionibus talis Religionis.

2731

Not. 2. quamvis jure legum, ignorans mortem v. g. sororis suæ, è vivis decedens nondum aditæ ejus hereditate, talem hereditatem non transmittat ad hæredes suos per L. 7. C. de jure deliber. quia tamen dispositio legum in ordine ad causas pias (in his enim solum consideratur jus naturale gentium, & canonicum) non attenditur; posse juxta cit. Layman num. 13. Novitium, hereditatem, si quæ sibi ante mortem, vel professionem obveniret, cedere loco pio, vel Monasterio; & in eventu locum illum pium, vel Monasterium, ejusmodi hereditatem illi delatam accipere, licet Novitius, eam sibi esse delatam ante suam mortem, vel professionem ignoraverit.

Ad 7. *re.* cum Sanchez l. 7. Decal. 2732 cap. 9. num. 25. distinguendum esse, an quæstio procedat de bonis (v. g. hereditate, quæ illi obveniret, si viveret decedente illo, de cujus hereditate agitur) quæ nondum habet, sed haberet; vel verò de his, quæ sua sunt: in hoc secundo casu, si Novitius moriatur ante professionem, vel relicta professione discedat à Religione, renuntiationem corruiere; nam esto facta ponatur etiam servatâ formâ Tridentini, adhuc tamen effectum non habet, nec valida est, nisi *secutâ professione*, ut constat ex ipso decreti textu relato supr. quod verum est, etiam professione secutâ, sed invalida; ita Sanchez cit. cap. 5. num. 551. nam professio *secutâ* intelligi debet *cum effectu*, nimirum validè; cum nulliter professus, & non professus in ordine ad reddendum vitæ Regulari naturaliter obstrictum paria sint.

Quoad primam distinctionis partem, dicendum pariter corruiere tali casu renuntiationem, v. g. hereditatis nondum delatæ, ac sine consensu eorum, de quorum hereditate agitur, renuntiatæ, si renuntians prius, quàm hereditas sibi delata sit, moriatur, vel profiteatur, vivis adhuc parentibus, aut iis, de quorum hereditate agitur; si enim nullum adhuc habet jus eorum bonorum (*vivens enim non est hereditas* L. 44. ff. de acquirend. heredit.) adeoque etiam nihil juris in alium transmittere potest. Spes enim ejus obtinendæ est in eventum vitæ post eorum mortem.

Ad 8. *re.* negativè, nisi statuat exire cum effectu; nam impletâ conditione (si secutâ scilicet professione validâ) eo ipso evadit irrevocabilis; pendente autem conditione, nisi velit non profiteri, & à Religione discedere, tenetur expectare conditionis eventum, ut constat ex lib. 1. tit. 5. de condit. appositis. Ad 9. *re.* affirmativè ex c. de hu. 4. de Sepulturis, ubi dicitur, quod, si qui se ad loca religiosa in sanitate transtulerint, de his, quæ locis ipsis conferent, cogi non possunt aliquid præceptis Ecclesiæ impertiri, quia liberum est eis tunc bona sua, non solum religiosis, sed etiam quibuslibet privatis conferre personis.

Ad 10.

2735 Ad 10. *re.* cum Sanchez *cit. lib. 7. c. 5. à n. 68.* non requiri, quòd petatur, vel detur in scriptis; & dari non posse, nisi ab Episcopo, vel ejus Vicario; primi enim nulla mentio fit in textu; secundi autem fit expressa mentio sic, ut si secus fiat, renuntiatio nulla sit. Nominè Episcopi autem veniunt etiam alii habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in suo territorio nulli alteri subjecti, ut alibi diximus. Unde non sufficit in hoc casu licentia Superioris Regularis, etiam exempti; quia in hoc casu non additur: *vel alterius Superioris*, prout additur, pro facultate ingrediendi Monasteria Monialium *c. 5. Scels. 25.*

2736 Ad 11. *re.* affirmative, cum hæc facultas sit annexa dignitati, non personæ; ita Sanchez *cit. n. 73.* Ad 12. *re.* in quibusdam Religionibus non esse in usu, ut testatur Sanchez *cit. n. 25.* & Rodriguez *tom. 2. qq. Regular. q. 48. a. 14. ad 13. re.* negativè ex dict. cum sufficiat eam fieri intra tempus probationis, vel eam etiam finitè ante professionem, etiam ultimà horà, ex quo etiam constat ad 14. cum textus solum petat non fieri ante bimestre proximè antecedens professionem. Ad 15. *re.* quòd non, ex seqq.

ARTICULUS IV.

De professione Religiosa.

2737 P ROfessio Religiosa generaliter accepta, ut notat Pereyra in Elucidario *n. 1358.* apud Theologos, & Canonistas est sponsio, & promissio, Deo facta per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, in Religione approbata; hæc duplex est, nimirum expressa, & tacita, seu interpretativa. *Expressa* est, quæ fit in manibus accipientis eam legitime, & exprimitur sive verbis, scriptis, aut ore prolatis, sive nutibus. *Tacita* est, quæ non exprimitur, sed continetur in aliquo per interpretationem, v. g. in habitu professorum delato per certum tempus; quibus modis utraq; fiat, latè prosequitur Sanchez *l. 5. Decal. c. 3.* Azor *tom. 1. l. 12. c. 4.* & Suarez *tom. 3. Relig. l. 6. à c. 13.* Dixi, per vota, sive *solemnia*, sive *simplicia*, prout fit in Soc. JESU post biennium Novitatus; ex quo habetur altera divisio professionis generaliter acceptæ, nimirum in eam, quæ

Tom. III.

fit per illa tria vota, sed *solemnia*; & illam, quæ per eadem, sed *simplicia*; & de hac nihil extat in corpore juris Canonici; quibus præmissis.

§. 1.

De requisitis ad valorem Professionis Religiosæ.

2738 A Nte resolut. Not. 1. professionem religiosam, & *expressam*, ad valorem spectatâ ejus naturâ, seclusis particularium Religionum constitutionibus non exigere, ut determinatè fiat vel voce, vel scripturâ; sed sufficere consensum etiam nutibus expressum; cum id nullo jure cautum sit; sic Azor *p. 1. l. 12. c. 4. q. 1.* & alii; id, quod etiam colligitur ex *c. Porrectum 13. h. t.* Cæterum exigitur scripturam causâ probationis, colligitur ex *20. q. 1. c. ult.* ubi tamen speciali Religionis constitutione per Sedem Apostolicam approbata per Scripturam fieri debet, tanquam solennitatem substantialem (prout habetur in Soc. JESU *p. 5. Constit. c. 3. in declarat. lit. A.* & notatur à Sanch. in *Decal. l. 5. c. 3. à n. 5.*) aliter facta non tenet.

2739 Not. 2. formam professionis *expressam* non esse eandem in omnibus Religionibus, ut per se constat, & videri potest apud Suarez *cit. l. 6. c. 12.* Sanchez, & alios; in quibusdam enim exprimitur omnia tria; in aliis sola obedientia; vel stabilitas, & conversio morum secundum regulam, &c. Not. 3. non pertinere substantialiter ad valorem professionis, susceptionem habitus professorum proprii; nam *habitus non facit Monachum*, *c. Porrectum. 13. h. t.* Not. 4. professionem *expressam*, quantum est de jure communi, posse fieri per Procuratorem cum mandato speciali; hoc enim nullibi reperitur exceptum in jure communi, præsertim cum hoc etiam admittatur in matrimonio juxta dicta *lib. 4. decretal. à n. 562.*

2740 Not. 5. professionem *expressam*, quantum est de jure communi, posse fieri etiam sub conditione non tantum præsentis, vel præterita, sed etiam futura contingenter, intellige honesta, & non contraria substantiæ professionis, ut tradit Sanchez *cit. l. 5. c. 4. n. 87.* an autem conditione purificata innovari debeat consensus, & præstari purè? vel ad valorem sufficiat consensus prior cum

Kkkk 2

cum conditione purificata : docent communiter id resolvendum ex casu matrimonii taliter contractui, de quo egimus lib. 4. ubi diximus, sufficere postremum ; de conditione verò substantiæ actus contrariâ plura V. cit. l. 4. iii. 5. de conditionibus appositis à n. 777. quibus positus :

2741 Ad quæst. in tit. propositam 3. plures exiguntur conditiones, quarum defectu invalida sit professio. 1. est ætas jure requisita, quæ nunc est 16. annorum completorum, de qua jam egimus ; hæc porro conditio sic intelligenda est, ut professio non valeat, facta prius, seu ante illam ætatem verè completam ; licet nullo jure irrita sit facta post illam, prout quarundam Religionum statutis specialibus servatur ; ubi notandum, esto secundum leges talium Religionum professio illicitè fiat à non habente præscriptam ætatem 13. vel 20. annorum ; si tamen facta sit, post completum 16. non esse invalidam, nisi statutum tale, autoritate Sedis Apostolicæ firmatum, secus acta etiam annullaret ; de quo c. in Insulis. 6. h. t.

2742 Altera conditio est, ut professio fiat voluntate liberâ, & spontaneâ, ut dicitur c. 1. h. t. ibi : nullus tonsdeatur nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate ; quia sponte religionem quis ingredi debet, c. proclivis, & c. presens, 20. q. 3. adeò, quod excommunicacionis vinculo innodentur à Concilio Tridentino Sess. 25. de Regularibus, cap. 18. qui mulierem Monasterium ingredi coegerit, quique consilium, auxilium, vel favorem dederit. Difficultas est, quando censetur facta non spontaneâ, consequenter sine voluntate spontanea, prout requiritur ad valorem Professionis ; obstat possunt error, ignorantia, dolus, coactio per vim absolutam, vel conditionalem. Quæ porro spectant primos tres obices, à nobis resoluta sunt lib. 4. à num. 1067. idem enim voluntarium requiritur ad professionem, quæ immutabilem statum inducit, ac ad matrimonium.

2743 Quæ verò pertinent ad professionum coactam, cum alia sit coactio præcisa, & absoluta ; alia solum conditionalis, quæ fit incusso metu ; & prima tol-

lat voluntarium simpliciter, ut ostendimus lib. 4. à num. 389. tollet etiam valorem professionis ; de coactione verò conditionali agimus ibid. num. 392. probabilius autem est, metum levem etiam injustum non obstat valori professionis, sicut nec matrimonij ex dict. ibid. à num. 398. secus tamen dicendum est, si facta sit ex metu gravi, extrinsecus, ac injustè incusso ex fine consentum professionis extorquendi ; ratio sumitur ex dict. ibid. lib. 4. à num. 434. ubi diximus contractus, postquam semel validi sunt, irrefcindibiles, jure naturali & positivo esse irritos ; at professio talis est ; ergo.

Dices, probato tali metu rescindi professionem ; ergo non est naturâ suâ irrefcindibilis ; 3. idem justam in matrimonio. Quare dicendum tali casu nec professionem, nec matrimonium rescindi propriè, auferendo valorem ; sed solum declarando nullitatem ; dici tamen irrefcindibilem, quòd ne quidem declarativè rescindatur, nisi probato metu tali, præsertim durante etiam per annos propterea, quòd ejusmodi metum passi, viventibus illis, qui eum incusserunt, reclamare non audeant, & frequenter præsumatur, metum silentio, vel tempore purgatum præsumptione in re facta ; cujus probatio cum sæpe difficillima, consequenter moraliter impossibilis sit, etiam illam rescindibilitatem impossibilem reddit, utpote non assequibilem nisi ex suppositione illa moraliter impossibili.

2744 Tertia conditio est, quòd ab aliquo habente legitimam facultatem recipiendi profitentem ad talem statum, professio acceptetur nomine ipsius Religionis acceptatione expressâ, vel tacitâ, quæ fit vel ipso facto, vel aliis signis, prout dicemus à n. 2748. de professione tacita ; ita tenent Suarez tom. 3. de Relig. l. 6. c. 11. Sanchez in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 62. Layman l. 4. Summa, tr. 5. cap. 5. n. 5. & alij communiter. 1. ex c. Porrectum. 13. h. t. ubi dicitur, tunc aliquem fieri Monachum, ut reddat Domino, quæ promisit, cum professio regularis emittitur, & recipitur ab Abbate ; & cap. 16. eod. ibi : si tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is, qui

qui converti desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se, vel per alium professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente, uterque renuntiare videtur ei, quod pro se noscitur introductum: ideoque obligatur per professionem emissam pariter, & acceptam ad observantiam regularem, & verè Monachus est censendus; & ratio est; quia ex professione nascitur obligatio mutua, utriusque onerosa; quod non stat sine consensu mutuo utrinque acceptato, ut diximus lib. 4. à num. 7.

2746 Præter hæc not. à nonnullis exigi ad professionem, saltem ut licitè fiat, ut profitens sit sui juris; de quo dicemus à num. 2697. ut præcesserit integer, & continuus annus probationis; sed qualiter hoc accipiendum sit, diximus à num. 2683. 3. ne professio facta sit renuntiatione bonorum absque præscripta Tridentini formâ, de qua à n. 2719. &c. 4. qualiter emitti possit à conjugatis, expositum est hic tit. 32. à n. 2826.

§. 2.

Qualiter fiat Professio tacita?

2747 **A** Nte resolut. suppon. habitum Novitiorum communiter assignari triplicem secundum varietatem Religionum; nam in quibusdam habitus Novitiorum alius est *communissimus*, quem etiam vocant *indistinctissimum*, quando nimirum eodem utuntur & Professi, & Novitii, & alii etiam Clerici vel Laici cum illis in communi viventes, ipsisque fervientes; secundus est *communis*, seu *indistinctus*, quo scilicet nullo discrimine utuntur Professi, & Novitii: tertius est habitus *Novitiorum* distinctus ab habitu Professorum, ut, si illi utantur albo, isti, nigro; quæ distinctio potest esse vel patens aliquo signo visibili, vel latens; nimirum non patens signo visibili, ut si habitus Professorum benedicatur; non Novitiorum, &c. his præmissis:

2748 Quæstio est, quibus modis tacitè Professio emittatur, hoc est, ex quibus factis, vel signis à jure præsumatur, eum, qui talia facta, signa, vel indicia edidit, professum esse, id est, se Religioni ac regulari disciplinæ in tali loco regulari

obligasse sic, ut non minus, ac alii expressè professi ad ejus statum observantiam jure compelli possint? Tres communiter modos assignant ex sacris canonibus Azor p. 1. l. 12. c. 4. q. 3. Sanchez in Decal. l. 5. c. 3. n. 19 Layman l. 4. Theol. moral. tr. 5. c. 5. à n. 1.

Primus igitur modus, seu argumentum tacitæ professionis, seu jure præsumendi professionem ipso facto esse editam, sumitur ex c. *Ad nostram*. 8. h. t. ubi habetur: censi tacitè professum, si quis ante pubertatem suscepit habitum religiosum, & post completam pubertatem eundem *triduo* portavit, quin reclamaret, aut contrariæ intentionis signum daret; circa quod not. 1. id non procedere, nisi hoc fiat *scienter*; nam ignorantis non est consensus; 2. nisi fiat *spon-te*; professio enim coacta, probata coactione, facile, ac merito infirmatur. 3. nisi fiat per susceptionem habitus professorum distinctissimi, ut notat Azor p. 1. l. 12. c. 4. q. 3. Sanchez in Decal. tom. 2. l. 5. c. 3. Basil. Pontius de impedim. matrim. c. 5. Dixi *habitus professorum distinctissimi*; nam ex susceptione habitus Novitiorum patenter distincti ab habitu professorum, ejusque gestatione annua, vel etiam majori tempore, sine exercitio aliorum operum, quæ professorum propria sunt. non inducitur tacita professio; ita Sylvester V. *Religio* 3. q. 18. Navarr. Comment. 4. de Regular. num. 74.

Difficultas tamen est 1. an inducatur tacita professio per gestacionem habitus Professorum *patenter distincti* ab habitu Novitiorum etiam non expleto anno Novitiatus? 2. an tacitæ professioni locus sit etiam post Tridentinum? 3. an ad tacitam professionem ex susceptione habitus patenter distincti ab habitu Novitiorum de necessitate requiratur perseverantia in eo, saltem per triduum post pubertatem? 4. quam obligationem inducat tacita professio primo modo facta? Ante responsionem not. quod illa susceptio habitus dupliciter considerari possit; primò præcisè, quin talis simul sciens, & prudens sponte exerceat aliquas actiones professis proprias; 2. his simul accedentibus.

Kkkk 3 Ad

2751 Ad 1. *ix.* affirmativè, quantum est de jure veteri, si pubertate adeptâ triduo perseveret in eo habitu, esto annus Novitiatus nondum esset expletus, nec exercuerit actiones Professorum proprias; triduum autem illud non esse necessarium, si præter dicti habitus gestationem exercuit simul opera Professorum propria; primum constat ex c. *ad nostram* in *num.* 2749. secundum autem constabit ex responsione ad 3. Dixi: *quantum est de jure veteri.* Nam licet per CC. Tridentinum nullibi reprobetur professio tacita quoad substantiam; quia tamen hodie juxta dictum CC. professio non valet non expleto 16. ætatis anno, & non præmisso integro probationis anno, quoad has circumstantias juri antiquo derogatum est; quare, hodie non erit quis tacite professus, esto quis vel durante probatione gesserit habitum solis professus proprium, ac præstet opera, quæ illis quæ talibus jure, vel consuetudine competunt; vel sine his, triduo in suscepto tali habitu perseveret; secus, si expleto probationis anno, & 16. ætatis anno; sic Navarrus, & complures alii, quos citat, & sequitur Barbof. in c. *Vidua.* 4. h. t. n. 3. ex quo patet responsio ad 2.

2752 Ad 3. aliqui censent ad hujus tacitam professionem requiri in eo actuum exercitio perseverantiam *tridui*, eò, quòd illa tridui perseverantia petatur in hoc textu ad tacitæ professionis ex delatione habitus professorum præsumptionem; alii autem negant, cum hoc non exigatur in c. *Vidua.* 4. h. t. ubi dicitur: *Vidua, si sponte velum conversionis, quamvis non sacrum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit sanctimonie habitum ulterius debet habere; licet Sacramento firmare velit, eo tenore velamen sibi imposuisse, ut deponere posset; qui textus communiter summatur, quòd Vidua, vel Novitia, quæ sponte se ingerit actibus professorum, per hoc censeatur professa; ubi nulla fit mentio de perseverantia tridui; nulla de habitu professorum etiam latenter distincto. Et ideo ex hoc textu communiter notatur, quòd ad inducendam tacitam professionem sufficiat; ut sola illius Re-*

ligionis consuetudine actus, quibus se ingerit, sint professorum proprii; sic Abbas hic n. 6. Azor ibid. q. 3. Sanchez in Decal. l. 2. c. 3. n. 20. & alii.

*ix.* cum Sanchez *cit.* n. 21. & Navarr. Comment. 5. de Regulatib. n. 73. nullam esse contrarietatem inter c. *Vidua.* & c. *Ad nostram*, & utrumq; conciliari posse, dicendo, quòd, si concurrant hæc duo, nempe assumptio habitus peculiaris professus, & exercitium actus illis solis sive jure, sive consuetudine competentis, non exigatur tridui perseverantia; & hoc intendi per c. *Vidua*, quòd ad eam professionem præsumendam ponderavit assumptionem habitus, & oblationem cum aliis monialibus, quæ solis professus competeant, ac nulla tridui mentio fit: quòd si alterutrum solum ex his concurrat, opus sit ea tridui perseverantia, & in his terminis procedere textum c. *Ad nostram.*

Ad 4. Resp. ex tacita professione (quam diximus induci per hoc, quòd quis ante pubertatem susceperit habitum Professorum patenter distinctum ab habitu Novitiorum, & completa pubertate triduo in eo perseveret) taliter professum non obligari ad eam determinatè Religionem, si ejus austeritatem ferre non possit; non tamen posse redire ad seculum, sed teneri transire ad aliam mitiorem, per c. *Super.* 9. h. t. ex constitutione Alexandri III. rescribentis Episcopo Eliensi, ibi: *Super eo, quòd quæsitum fuit de Clericis, qui Religionis habitum susceperunt, & ante professionem ad priorem statum sunt reversi: respondemus, quòd si austeritatem Religionis, ad quam migrasse noscuntur, servare noluerint, ad minorem Religionem sunt cogendi transire: nec amplius in Ecclesiis secularibus debent assumi: nec contra votum, quòd Domino fecerunt, venire prohibentur.*

Alter modus inducendi professionem tacitam habetur, si quis integro, eoque continuo anno usque ad ejus finem portavit habitum religiosum Professorum patenter indistinctum ab habitu Novitiorum, quin ante, vel in ipso anni fine declaraverit voluntatem in contrarium per c. *ex parte.* 22. h. t. & c. 1. §. *quod si.* eod. in 6. Tertius modus con-

continetur in c. Vidua, de quo jam dictum est à n. 2752. Ad hoc autem, ut prædictis, aut similibus modis inducatur professio tacite, hoc est, jure præsumatur, talem se verè obligasse Religioni, quatuor conditiones communiter requiruntur. 1. ut talis habitum deferat susceptum coram Priore, & Conventu, vel eo, cujus est admittere; aliàs enim non dabitur acceptatio tacita, quæ saltem in ejusmodi professione exigitur.

2756 Secundò, ut hi actus, per quos inducitur tacita professio, fiant non solum sponte, sed etiam scienter, ita ut sciat, illis utens, ad solos professos illius Religionis pertinere; atque adeò ex communi DD. sensu exigitur, utentem iis actibus non debere etiam ignorare per illos tacitam induci professionem; quia ratione hujus ignorantie deesse consensus tacite profitendi. Tertio requiritur, utentem his actibus animum emittendi professionem habere, nec satis est, se habere negativè, non habendo scilicet animum non profitendi; nec faciendo ullam determinationem emittendi professionem, ut bene advertit Navar. commento 4. de Regul. n. 75. verè. *quoniam autem*. Plura de his Azor p. 1. l. 12. c. 5. Sanchez tom. 2. Decal. l. 5. c. 3. & alii.

2757 Quarto requiri volunt, ut susceptus habitus deferatur in ipso Monasterio; sic Azor cit. c. 5. q. 3. apud Barbof. c. 1. h. t. in 6. n. 5. Alii tamen volunt, ad inducendam Professionem tacitam per voluntariam susceptionem habitus Professorum proprii, & manifestè distincti ab habitu Novitiorum, in quo per triiduum perseverat, non requiri, ut intra Monasterium gestetur: sed idem esse, si extra deferatur, cum licentia Prælati, & sub ejusdem obedientia; ita Sanchez cit. l. 5. c. 3. n. 25. Pirhing h. t. num. 107. §. Not. 3. sed in hoc attendenda est cujuslibet Religionis approbata regula, vel consuetudo legitima.

§. 3.

*Qui possint Religionem profiteri, & ad hoc admittere?*

2758 IN hac quæstione distinguendum est quoad ingressum Religionis, nempe solum causâ probationis; seu solum probandæ, vel etiam actualiter profitendæ;

quo posito dicendum tam in ingrediente religionis probationem, quam proficiente requiri ad valorem, certam in illo ætatem à nobis jam expositam supra. Cæterum omnes Religionem ingredi possunt, qui nullo jure prohibentur. Prohibentur autem. 1. furiosus, & mente debilitatus per c. 15. h. t. 2. carentes ætate debitâ, ut dictum est; 3. liberi, qui ad parentum sustentationem aliunde non supplebilem extra statum Religionis necessarij sunt, ut diximus l. 4. & colligitur ex c. 1. dist. 30. 4. servi, durante servitute, sine consensu Domini. 17. q. 2. c. fin. 5. obligati ad ratiocinia, qui adhuc debitis contractis saltem cum tempore satisfacere possunt, ne opus præcepti postponatur soli consilio; 6. habentes matrimonium spirituale cum Ecclesia, ut sunt Episcopi consecrati, vel etiam electi & consecrati; non autem solum electi, ut diximus c. 10. de Renunciat. & c. 2. de translat. Episc. & c. 18. h. t. plura porò ingressus Religionis impedimenta sunt ex legitimis particularium Religionum statutis, de quibus illi, quorum interest.

Ad alteram tituli partem re. spectato jure communi receptionem ad Religionem, & admissionem ad professionem pertinere ad Prælaturam Religionis immediatam, simul, & ad Capitulum, prout colligitur ex c. Ea noscitur. 6. de his, quæ sunt; ubi dicitur Prælaturam Ecclesiæ Collegiatæ præsentationem facere debere de consensu Capituli, vel majoris partis de illo, nisi de consuetudine, vel privilegio competat soli Prælato; ita tenent Gloss. in c. ult. in casu, & Verb. Pertineat, h. t. in 6. Rodriq. tom. 3. q. 12. a. 7. Sanchez l. 7. Decalogi c. 4. n. 65. & alii volentes ex communi sententia, & observantia omnium Religionum sine consensu Capituli, actum esse invalidum; sed excipitur casus, ubi aliud habet consuetudo, vel privilegium.

Not. autem in casu, quo id pertinet ad solum Prælaturam, eo mortuo, vel Sede vacante, non posse aliquem de jure communi admitti ad professionem à solo Capitulo; secus, si cumulative spectet ad utrumque, per c. si ad. 6. h. t. in 6. ibi: *si ad solum Abbatem pertineat*

*sineat creatio monachorum: eo defuncto nequibit novus monachus à conventu creari: aliàs poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumq.*

2761 Not. 2. potestatem admittendi ad professionem, quam de jure communi diximus esse penes Prælaturum immediatum, & Capitulum, esse etiam penes Superiorem eorum immediatum, nempe Generalem Ordinis, vel Provinciale; inferioribus enim communicatur ab his non privative ad se, sed cumulative sic, ut & ipsi possint, etiam in vitiis inferioribus; hæc de jure communi; nam attendendo statuta particularium Religionum, potestas admittendi ad professionem & vota Religiosa est penes solum Generalem, & in Provincialibus, secundum quod eis communicatur.

2762 Not. 3. creationem Monialium de jure communi spectare ad Abbatissam, & Moniales, intelligendo id non tantum, quando Novitiæ admittuntur ad professionem, sed etiam quando ad probationis habitum recipiuntur, sicut docent Fr. Ludov. Miranda in man. Prælat. tom. 1. q. 15. a. 1. & 2. Sanchez in Præcepta Decalogi, lib. 4. c. 16. n. 52. sicut creatio Monachorum de jure communi spectat ad Abbatem, & Conventum, ut tradit Navarr. cons. 9. n. 12. sub tit. de constit. in 1. edit. aliàs cons. 17. n. 2. de voto, in 2. edit. Fr. Barthol. de Vecchis in praxi observanda in admittendis ad Religiosum statum novitiis, D. 6. d. 2. n. 2.

2763 Not. 4. ad professionem posse quem admitti in Religione, vel Monasterio per Episcopum, cui hoc subjectum est, modo id faciat eum consensu majoris partis de Capitulo; quia verè est illius Superior non minus, quam Abbas, vel Provincialis, pro qua sententia refertur Abbas in c. Porrectum, 13. h. 1. num. 12. Sanchez cit. c. 4. n. 74.

2764 Not. 5. actum admittendi ad professionem non esse actum Ordinis vel jurisdictionis spiritualis pertinentis ad Ecclesiæ claves; sed solum cujusdam Superioritatis, quam Abbatissæ habent in Moniales, vel aliqui Superiores, carentes spirituali jurisdictione fori externi; sic Azor p. 1. l. 12. c. 6. Sanchez cit. n. 76.

Not. 6. professionem irritam ex defectu solius jurisdictionis in recipiente,

seu admittente, posse sanari per ratihabitionem habentis legitimam potestatem, si acceptata sit nomine habentis potestatem admittendi; tunc enim est locus regulæ 10. & 9. de regul. juris in 6. quod rathabitio retrotrahatur.

Not. 7. quod diximus n. 2763. de Episcopo, debere intelligi, ne regulariter possit cogere Abbatem & Conventum, ut is, quem ipse vult, recipiatur ad professionem; cum ea potestas regulariter spectet ad Superiores regulares, & Conventus de jure communi, quibus disciplina regularis (quæ plurimum pendet à receptione personarum) commissa est; quamvis, si debitum numerum personarum non alant, cum possunt, eos ad hoc compellere possit; sic Francus in c. fin. h. t. in 6. n. 3.

Not. 8. quæ diximus de potestate admittendi ad professionem spectato jure communi, procedere etiam de admissione ad Religionis probationem, seu Novitium; cum hæc admissio ex fine suo principali ordinetur ad alteram, quæ est ad professionem; de quo plura Suarez tom. 3. de Relig. l. 5. c. 10.

#### ARTICULUS V.

*De indissolubilitate professionis.*

Communis tenet professionem religiosam (loquitur de professio solenniter) nec ex parte professi sola ipsius voluntate; nec ex parte Religionis, solo hujus consensu; nec ex parte utriusque etiam consensu mutuo dissolvi posse quoad vinculum; ita Suarez tom. 3. de Relig. l. 6. c. 14. & constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, adeo quidem, ut nec ejecti, quantumvis in perpetuum, à votis absolvantur, sed maneat obligati sua Religioni, cogique possint ad eam redire volente Religione; his positis?

Quæstio est. 1. an vinculum religiosæ professionis dissolvi possit per summum Pontificem? 2. an per promotionem ad Episcopatum? 3. an præscriptione? 4. an invalidè professus, non valens tamen in foro externo probare nullitatem, teneatur eam ratificare? 5. an, & qualiter competat jus contra nullitatem professionis reclamandi? 6. ad 1. posse; certum enim est, Pontificem posse dispensare in votis simplicibus,

cibus, ut alibi dictum est; ergo etiam in solemnitate votorum; cum hæc introductæ sit solo jure Ecclesiastico, ut constat ex c. *Unit. de Voto in 6. & constit. Gregorii XIII. in Bulla Ascendente Domino*; de quo ex professo egimus lib. 4. decret. ubi etiam respondimus ad objecta Thomistarum contrarium tenentium.

2768 Ad 2. negativè respondet Pirhing h. t. n. 145. pro scilicet D. Thomam 2. 2. q. 185. a. 8. Lessium lib. 2. c. 4. 113. Sanchez lib. 6. moral. c. 6. n. 2. ubi ait, quod Religiosus, ad Episcopatum promotus maneat verus religiosus, ut faterentur omnes, idque demonstrat obligatio gestandi habitum, qua rectè astringitur; hunc enim teneretur gestare debito legali religiosus creatus Episcopus, nec potest super illum vestitus Episcopalibus indui, quia hæc obligatio non ex regulæ præscripto, sed jure canonico, & consuetudine communiter recepta oritur. Nec hoc ejus officio obstat, & est veluti quoddam signum obligationis ad vota regularia, quibus astrictus est; constat ex c. *penult. & fin. de vit. & honest. Cleric. ubi cum de vestibus Episcopalibus sermo fiat, quasque induere debet Episcopus, sic dicitur: nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem*; atque ita docet D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 8. in corpor. quamvis jam in Rituali Romano per Clementem VIII. reformato, concessum sit Episcopis regularibus, ut, retento colore habitus suæ religionis, possint se conformare cum Episcopis secularibus in forma, seu figura illius; & ita servatur modo in praxi: ita Sanchez cit. n. 22.

2769 Unde quando in c. *unico. 18. q. 1. dicitur: Monachus, quem canonica electio à jugo regula monastica professionis absolvit*; solum sequitur, cum absolvi ab obedientia Prælatorum regularium; idque solum per accidens; sicut, si quis fiat Generalis talis Ordinis, nulli Superiori Religionis obedire tenetur, sed soli Pontifici; non ob id liberatur obedientiæ voto, cum id per accidens sit, eo quod Superiorem alium non habeat: obedientia enim respicit Superiorem, dum superior est, & cessat, eo cessante: ergo idem dicendum est de Episcopo: per accidens enim Superioribus religio-

Tom. III.

nis parere non tenetur, eo quod sui Superiores amplius non sint, sed assumpto eo statu, eximatur ab eorum subjectione solique Pontifici summo subdatur; hinc religiosus creatus Episcopus manet obligatus obedire Pontifici peculiari voto obedientiæ, ultra generalem ab omnibus fidelibus obedientiam ipsi debitam, & ultra peculiarem debitam ratione juramenti obediendi ipsi, quod omnes Episcopi præstant; ita Suarez tom. 2. de Relig. l. 6. c. 7. à n. 10.

Major difficultas est de voto paupertatis; nam Religiosum promotum ad Episcopatum solvi à voto paupertatis, ac effici verum dominum reddituum Ecclesiasticorum instar Episcopi secularis, tradunt complures apud Sanchez cit. l. 6. c. 6. n. 7. inter quos refertur Sotus, Palacios, Angles, Vasquez 1. 2. q. 96. a. 4. D. 165. c. 8. n. 91. & 104. & hoc 1. ex c. *unico. 18. q. 1. ubi de religioso Episcopo sic dicitur: velut legitimus hæres paternam sibi hereditatem postea jure vendicandi potestatem habet*; si ergo sibi acquirit, vendicatque, verum dominium habet. *Vendicare enim, & sibi acquirere*, solis veris dominis competit; L. *in rem. ff. de rei vendicat. 2. quia eodem prorsus modo adjudicatur sua portio Episcopo seculari, ac Regulari, cum libera potestate transferendi in alium dominii administrationem; ergo nihil deest, quo minus dominium habeat; tandem quia aliàs deberent ii Episcopi supervacaneè consumpta restituere, atque ab ipsis sic accipientes eadem obligatione astringerentur. Hanc sententiam securus sum in tract. Theol. de jure, & just. q. 8. de dominio Regularium cum Wadingo de contract. D. 2. d. 3. §. 2. n. 7. Poncio de matrim. l. 7. c. 13. Nam Monachus, factus Episcopus, jure vendicabat sibi paternam hereditatem, c. *statutum 18. q. 1. ergo factus est capax dominii; aliàs enim non sibi, sed monasterio illam vendicaret. S. Thomas non obstat; quia putavit, non posse quem solvi voto, eo quod vota essent quoad solemnitatem juris divini; sed contrarium constabit ex num. sequenti. Deinde stante voto fieri poterat capax dominii; nam hoc consistere potest etiam cum voto solemnium ex num. seq. nec ob-**

LIII stat

stat glossa explicans illud *sibi*, ut idem sit, ac, quod vendicet Ecclesiæ suæ; tanquam sponsæ; nam sic Monachus, propriè & usu juris, acquireret *sibi*, quæ acquirit monasterio, quod tamen est falsum; cum hæc in jure habeantur ut distincta; sic Wadingus *cit. d. 3. §. 2. n. 9.* Nec denique obstat, quod in morte suam substantiam teneantur relinquere Ecclesiæ suæ; nam etiam Clericis secularibus negatur factio testamenti de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ, & tamen in vita sunt eorum domini, secundum communem aliorum sententiam.

2771 Not. præterea. 1. Monachos, & Moniales olim etiam post religiosam professionem, non fuisse statim exutas omnium rerum suarum dominio, sed earum tantum, quæ actu detulerunt secum ad monasterium, retento jure succedendi, proprio nomine, in paternam hereditatem, *L. Deo nobis, C. de Episcopis, L. Nunc autem, C. de Episcopo & Clericis.* Not. 2. quando S. Thomas. 2. 2. q. 88. a. 11. docuit, Papam non posse dispensare in votis religiosis, id factum, quia scripsit pluribus annis ante constitutionem Bonifacii VIII. qui c. unico, de voto, & voti redemptione declaravit, voti solemnitate ex sola constitutione Ecclesiæ inventam esse; aliàs S. Doctor non dixisset oppositum, utpote observantissimus Sedis Apostolicæ. Deinde dici potest, S. Thomam aliud non velle, quam quod Pontifex non possit facere, ut quis votis solutus maneat religiosus; contrarium tamen tenet Sanchez *cit. n. 8. & seqq.*

2772 Ad 3. r. negativè, ex c. sicut nobis. 12. h. t. ubi Clericus Religionem Canonicorum Regularium expressè, vel tacitè professus etiam post longum tempus dicitur cogendus per Ecclesiasticam censuram ad vitam canonicæ observationis, licet habitum nunquam suscepit, nec ad Monasterium se transtulerit, & nunquam bonis suis tanquam propriis uti destiterit etiam scientibus Episcopo, & Canonicis Ecclesiæ Nazarenis; quia nulla diuturnitas temporis excusat à malefactis, sed magis auget culpam propter perseverantiam in malo.

2773 Ad 4. r. quod non, sive cum, sive

sine culpa factum sit, quod professio nulliter emissæ sit; sic Lessius *lib. 2. c. 41. num. 65. & alii.* Nam in tali casu nullitas professionis relinquit eum in statu, quo fuit ante professionem; quod enim non est, ac nulliter est, nihil operatur; sed ante non tenebatur illam emittere; ergo neque nunc emissam nulliter ratificare.

Ad 5. r. ex Trid. Sess. 25. de Regular. c. 19. sic loquente: Quicumque regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum, à die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim verò nullo privilegio suæ religionis juvetur.

Circa hoc decretum Not. 1. professum, qui contra professionem agit ad nullitatem ejus, quod vi vel metu coactus, aut ante legitimam ætatem, vel alia simili de causa illam nulliter emisit, debere suam actionem deducere coram Superiore suo, & Ordinario, & hoc intra quinquennium à die professionis, vel expressè, vel tacitè emisit; ubi advertit ly coram Superiore suo, & Ordinario, requiri conjunctim sic, ut neuter seorsim ab altero sufficiat; sic Tamburin. de jure Abbat. rom. 3. D. 6. q. 26. à n. 3. Aloyf. Riccius in praxi resolut. 20. quos citat, & sequitur Barbosa. in dict. c. 19. Trid. à n. 22. dicens, in hoc decreto per Superiorem intelligi Superiorem Monasterii, non Religionis; quinquennium autem computari à die professionis emissæ expressè; emissæ autem tacitè à die, quo cepit exercere actus Professorum proprios, vel ubi completum est triduum post pubertatem, juxta dicta superius à n. 2747.

Not. 2. facultatem reclamandi contra professionem concedi in hoc decreto cuilibet regulari, consequenter etiam

etiam Monialibus; imò & his, qui evadunt verè Religiosi per vota simplicia, ut contingit in Scholasticis Soc. JESU per vota biennii, ut colligitur ex illis verbis Tridentini *quicumq; Regularis*; quæ verba in hac dispositione favent Religioni, ne professos nulliter, & ex justa causa invitos ad perseverantiam, cum molestia totius Communitatis tolerare cogatur.

2777 Not. 3. esto aliqui dicant, *quinquennium* esse computandum à die factæ professionis, ut notavimus num. 2775. & tradit Sanchez l. 7. D. 37. de matrimo. à num. 19. prout refertur à Pirhing h. t. volens hoc tempus esse continuum, & currere etiam ignorantibus, vel impeditis; contrarium tamen à Suarez tom. 3. l. 7. c. 4. & aliis, dicentibus, hoc tempus esse utile, ac computandum à die cognitæ nullitatis, vel impedimenti cessantis; nam esse Concilium dicat *intra quinquennium à die professionis*, intelligitur tamen *per se loquendo*; quia contra reclamantem tardius stat præsumptio pro professione intra tale tempus ab ipso ratificata; & ideo, nisi contra istam præsumptionem doceat contrarium, & per hoc illam elidat, dicitur nullatenus ad allegandam quamcumq; causam admittendus ad reclamandum, & actionem suam coram Superiore suo, & Ordinario loci, in quo est Monasterium, deducendam; at, ubi adest ignorantia nullitatis, vel impedimentum obstanti reclamacioni intra illud quinquennium, non est locus præsumendi ratificationem interim factam; ergo.

2778 Et ideo non reclamantem intra quinquennium, vel quia fuit impeditus, vel quia ignoravit justâ ignorantia suam professionem esse irritam, vel ob defectum ætatis, posse reclamare etiam post quinquennium, & uti remedio extraordinario beneficii restitutionis in integrum, ut audiatur, resolvunt Navarr. commento 4. de Regularib. n. 71. vers. *tertio*; Fr. Emman. quæst. reg. tom. 3. q. 17. a. 16. & a. 17. vers. *ex quibus*, Azor l. 12. c. 4. Lefs. lib. 2. c. 41. d. 7. n. 66. Diana moral. resol. part. 3. tract. 2. resol. 52. Lezana in summ. quæst. Reg. cap. 2. num. 7. ubi ait, Concilium in Tom. III.

præsenti esse intelligendum, nisi aliter professi allegaverint, legitimas causas, ob quas non potuerint intra prædictum tempus reclamare. 2779

Advertit autem Barbofa in dict. cap. 19. Trident. num. 9. hodie, ut quis possit audiri post quinquennium, adiri Romæ sacram Congregationem Concilii Tridentini, seu alteram Regularium negotiis præpositam, quæ prius cognitis; saltem summarie, nullitatis deducendis, & justo impedimento non reclamandi intra quinquennium, restitutionem illius concedere solet; & ita, inquit; non semel fieri vidi; id; quod etiam insinuat Portel in dubiis Regular. V. Professio. n. 45. Hieron. Rodericus in Compend. qq. regul. resolut. 101. à num. 71.

### ARTICULUS VI.

*An, & qualiter liceat de una Religione transire ad aliam?*

IN c. Joannes 5. h. t. ita loquitur Gregorius Pontifex Anthemio Subdiacono scribens: experientie tue præfenti jussione mandamus, ut *nec monacho ulterius de monasterio in monasterium liceat migrare, nec eorum aliquem peculiare quicquam habere permittas*. Sed si quilibet hoc præsumserit, in monasterio, in quo ab initio conversatus est, & sub Abbatis sui regula, de qua fugerat, cum competenti coercitione reddatur; ne si tantam iniquitatem fluxam, inemendatamque dimittimus, pereuntium animæ à Præpositorum anima requirantur, ex hoc textu aliqui deducunt cum Barbofa lib. 1. juris Eccles. cap. 42. num. 42. Sanchez l. 6. Summæ, cap. 7. de monacho se transferente ad aliam Religionem; quod ei inconsulto Prælato facere non liceat: sed Gonzalez in dict. c. Joannes num. 2. notat, Gregorium in præfenti non prohibere hujusmodi transitum, sed potius monasterium proprium deserere, & ad alium ipsius Ordinis migrare sub diverso Prælato; quod prioribus Ecclesiæ seculis valde illicitum judicabatur, quia monachus sub eo Abbate, & in ipso monasterio, ubi stabilitatem promiserat, perpetuò manere debebat, nisi cum literis commendatitiis proprii Abbatis ad

ad aliud monasterium ipsius Ordinis mitteretur.

Quod autem in cit. cap. 5. non prohibeatur transitus de una in aliam Religionem, colligitur ex cap. *Licet*. 18. eod. ubi dicitur: quod possit Religiosus *Zelo sanctioris vite ad religionem transire strictiorem, petita prius licentia Prælati sui, licet non obtenta*; etiamsi primum monasterium sit privilegiatum, quod de illo ad aliud etiam arctius transire non possit.

2781 Circa istam juris dispositionem Not. 1. *spectato jure communi*, omnibus Regularibus licitum esse ab una Religione transire ad aliam strictiorem, servatis tamen certis conditionibus; ut habetur in relato c. *Licet*, loquente de *Professis*. Hæc dispositio comprehendit non tantum Presbyteros, & Clericos Religiosos, sed etiam Laicos, seu Conversos, seu Fratres, & Oblatos; 2. etiam ipsos Prælatos; nam soli Episcopi excipiuntur; 3. etiam Moniales; nam esto textus loquatur exprimendo *Viros*, ut communiter notant Interpretes; quia tamen, quæ in Monachis obtinent, etiam procedunt in Monialibus (saltem ubi dispositio favorem continet) nisi nominatim excipiantur, & illis convenire possunt, etiam de illis accipienda est, & habetur 20. q. 4. c. 1. ibi: *Virgines sacra, si pro lucro anime sue, propter districtiorem vitam, ad aliud Monasterium pergere disposuerint; Synodus concedit*; V. Sanchez lib. 6. Decal. cap. 7.

2782 Not. 2. inter condiciones, ut Religiosus, vel Religiosa licite transeat ad aliam Religionem, vel Ordinem, requiri. 1. quod transitus fiat ad Religionem *strictiorem* per dict. c. *Licet*; 2. quod non fiat ex temeritate, vel inordinato affectu, sed *Zelo charitatis*, & studio rectius DEO serviendi; 3. ne fiat cum notabili detrimento Religionis, à qua; 4. ut fiat cum licentia à Prælato petita, licet non obtenta, de quibus in seqq.

2783 Not. 3. hunc terminum Religionem *strictiorem* posse dupliciter intelligi. 1. de illa, quæ absolute, ac *in se perfectior* est ratione finis, ad quem dire-

ctè tendit; & mediorum, quibus utitur, proportionem ad finem; & sic accipit D. Thomas. 2. 2. q. 188. a. 6. in corp. 2. ut *strictior* idem sit, ac *rigidior*, durior, & magis austera, præsertim circa silentium, & solitudinem. Advertendum autem hunc Religionis rigorem non debere sumi unice à primæ regulæ institutione (cùm ea subinde iustis de causis legitime laxata sit) sed etiam ab his, quæ illi postea superaddita sunt ad puritatem regulæ observandam *rigidius*, & observantia, quæ tunc in ea Religione viget; unde potest esse Religio de se arcta, & rigida; sed in observatione remissa, & minus stricta.

Not. 4. quando textus concedens 2784 transitum ab una Religione ad aliam, signatè loquitur de *strictiori*, controversum esse, an nomine *strictioris* ibi veniat *perfectior*, an *rigidior*, & austerior? Communior sententia tenet hoc secundum cum Joann. Andrea in cap. *Sanè* 10. h. t. num. 8. Azor *part. 1. lib. 12. cap. 15. quest. 2.* Sanchez *cit. cap. 7. num. 21.* & alii; quia licet ea verba *ad frugem melioris vite, & Sanctioris vite propositum* videantur denotare, huiusmodi transitum à jure concedi ratione perfectionis, ac magis fructuosæ Religionis, & non ratione asperioris instituti, ut vult D. Thomas sup. cit. Sylvester *V. Religio. 4. q. 1. & seq.* Navarr. *Comment. 4. de Regularib. à num. 2.* ex postremis tamen verbis ibidem, ibi: *ut apud eos arctiorem duceret vitam*, cit. cap. 1. relato in num. 2781. alii probabilius judicant, intelligi vitam, seu Religionem rigore, ac austeritate potiorum; cuius ratio etiam esse potest, quia hæc raro quaeritur esse *levitate*, & *natura commoda*.

Not. 5. ad transitum, de quo in 2785 præsens, requiri, quod fiat ex debito fine, nimirum in ea, ad quam fit transitus, Deo serviendi rectius, & melius, quam in priori; adeoque non ex levitate, vel inconstantia animi, aut merè temeritate; 6. ne fiat cum Ordinis, aut Monasterii à quo, injuria, vel jactura præponderante bono personæ privatæ, qualis foret, si exinde Monasterium pateretur gravem infamiam, ut obler-

vat Sanchez cit. lib. 6. cap. 7. num. 11.  
Abbas in c. Licet. num. 12.

2786 Not. 6. licentiam debere prius esse  
petitam à Prælato, quam fiat ejusmodi  
transitus, ne scilicet *bonum obedientie  
contemnere videatur*, ut dicitur c. Licet.  
S. Quocirca: ubi adverte non sufficere,  
petitam esse licentiam; sed *expectan-  
dum* debito tempore responsum ejus, à  
quo licentia peti debet; nec enim ex  
sola ceremonia peti debet; sed ut re-  
bus bene pensatis Prælatus consideret,  
num verè ex Spiritu DEI, & Zelo  
Sanctioris vitæ id petatur? & ideo in  
dubio standum est Superioris arbitrio;  
ita Sanchez cit. cap. 7. à num. 11.

2787 Not. 7. Religiosum, qui petit licen-  
tiam transeundi ad strictiorem Ordinem,  
debere Superiori *volenti*, aperire  
causam, ex qua inductus hoc petat, ne  
scilicet Prælatus, ignorans causæ mu-  
tandi Religionem, atque adeo negans  
licentiam propterea culpetur, quasi  
*propositum divinitus inspiratum impedire  
videatur*, ut dicitur in cit. S. Quocirca;  
unde, tamen Superior neget licentiam  
(cùm id fieri possit ex justa, & gravi  
causa) non statim licitus sit ejusmodi  
transitus, ut colligitur ex illis verbis:  
*non obstante præserva indiscreti contradic-  
tione Prælati*, sed tunc solum, cùm ei  
taliter à Prælato licentia denegatur; &  
hoc significat, *licentia petita, licet non  
obtentâ*; ubi autem Prælatus nullam  
reddit, aut reddere vult causam, pro-  
pter quam etiam petenti licentiam ex  
allegata causa rationabili neget transi-  
tum, censerî potest, *proterve* negare;  
dixi *nullam*; si enim assert causam veri-  
similem, esto non convincentem, quasi  
lite pendente, recurrendum erit ad Su-  
perioris Superiorem, ut ejus judicio lis  
decidatur; sic Abbas c. Licet. n. 9. &  
alii: his præmissis:

2788 Quæstio ulterior est. 1. quinam Su-  
perior Regularis suo subdito dare pos-  
sit licentiam transeundi ad aliam Reli-  
gionem? 2. an non Monachus, ad or-  
dinem Monachorum, vel vicissim tran-  
sire possit? 3. an ei, qui licite transit  
ad alium Ordinem, concessa sint om-  
nia, quæ aliis in tali loco, & Mona-  
sterio Professis? 4. an legitime transla-  
tus ad alium ordinem, ut ibi sit Præla-

tus, debeat prius in eo profiteri? 5. an  
teneatur ad vota specialia prioris Ordinis?  
6. an talis secum ad novum Ordinem  
transferat bona, quæ priori Religioni  
attulit?

Ad 1. & 2. pro transitu ad strictiorem 2789  
Ordinem *de jure communi* dare posse Su-  
periorum etiam immediatum; nam jus  
est facultas transeundi sub præmissis  
conditionibus recti finis, & religiosæ  
intentionis, est cuilibet constitutum à  
jure; ac licentia Superioris solum exi-  
gitur, ne bonum obedientiæ regularis  
contemni videatur. Unde in Viris regu-  
laribus opus non est licentiâ dicece-  
sani; cùm id nullo jure cautum sit; nec  
etiam Capituli, quia textus solum lo-  
quitur de licentia petenda à Prælato  
suo: dixi *Viris regularibus*; nam in *Mo-  
nialibus Clausuralibus* aliqui præter licen-  
tiam Abbatissæ requirunt licentiam Præ-  
lati Regularis, cui subsunt, & Ordina-  
rii, seu Episcopi, si non sunt exem-  
ptæ; cùm *sine causa per Episcopum ap-  
probanda* non liceat eis egredi de Mo-  
nasterio ex Trident. Sess. 25. de Regul.  
cap. 5. Id porro, quod diximus, licen-  
tiam transitus ad strictiorem Ordinem  
dari posse à Superiore immediato, v. g.  
Priore, Guardiano, intelligendum est,  
nisi ea potestas cum facultate summi  
Pontificis reservata sit Superiori me-  
diato, v. gr. Provinciali, vel Generali,  
ut contingit in quibusdam Religioni-  
bus; ita Sanchez c. 7. n. 59.

Ad 2. & 1. non Monachum (v. g. 2790  
Canonicum Regularem) posse transire  
ad Ordinem Monachalem, si in Mo-  
nasterio, ad quod transit, observantia  
strictior sit, ex c. Sanè. 10. h. t. ubi Ale-  
xander III. scribens Ambianensi Epi-  
scopo, *Sanè*, inquit, *de Canonico*, qui in  
Ecclesia Aromaten. professionem fece-  
rat, & fugerat ab eadem, *in monachum  
à quodam Abbate recepto*: id tux fraterni-  
tati significamus, *quod si locus, ubi  
nunc permanet, majoris religionis, quam  
Ecclesia Aromaten. existat, ipsum in eo-  
dem loco cum pura conscientia remanere  
permittas*; alioquin eum ad priorem  
Ecclesiam redire compellas. Unde,  
quando in contrarium citantur ex c.  
*Intelleximus*. 12. de ætat. & qualitate,  
illa verba: attendens, *quod cautum est*

in canone, ne quis Canonicus regularis, nisi forte publice lapsus sit [quod absit] efficiatur Monachus: & si factus fuerit, ad Canonicatus ordinem revertatur, ultimus in choro manendo, cucullam ad memoriam delaturus; cum referantur ad c. Mandamus. 19. q. 3. dicendum, id procedere jure veteri. Olim enim, ut habetur in c. Mandamus, severe interdictum fuit, ne quis Canonicus regulariter professus, nisi, quod absit, publice lapsus fuerit, Monachus efficiatur; hujus interdicti ratio est ex S. Thoma. 2. 2. q. 189. a. 8. ad 2. quia Monachi olim non erant Clerici, nec divina mysteria tradebant: sed soli orationi, & contemplationi vacabant; & ideo, si quis tunc ex Canonico Regulari Monachus fierit, censetur descendere, & ex Clerico Laicus fieri, nunc vero secus est; & ideo etiam interdictum illud sublatum est. Et quia in textu c. Sanè dicitur Episcopo: *remanere permittas* in Monachorum claustrum Canonicum, qui ad Monachos profugerat, non bene probat, talem transitum fieri posse non petita licentiâ sui Superioris; sed, licet fugerit, fieri potuit, quod fugerit petita prius, sed non obtenta licentiâ; Prælato forsan injustè negante; vel si malè egit fugiendo, prius, quam reciperetur, licentiâ obtinuerit; vel denique, si nec hoc, Pontifex cum eo dispensativè egerit, ut deduci potest ex illis verbis: *remanere permittas*.

2791 Resp. 2. ex Ordine Monachali ad non Monachalem, v.g. Canonicorum Regularium, jure communi non esse permissum transitum; ratio est, quia transitus ab una Religione ad aliam jure communi solum permittitur, cum transitus sit ad *strictiorem alterâ*, ex c. Licet. 18. h. t. sed Ordo non Monachalis (v.g. Canonicorum regularium) non est strictior Monachali, ex c. 5. de statu Monachorum, ibi: *regula tamen inseruiunt laxiori*; ergo; ita Suarez tom. 4. de Relig. l. 3. c. 10. hoc aliqui accipiunt *per se loquendo*; nam si contingeret in aliquo Collegio Canonicorum Regularium observantiam Regularem strictius, quam in Monasterio Monachorum servari, transitus esset ad *strictiorem* in observantia, consequenter tali

casu licitus; ita Joannes Andreas in c. Sanè h. t. n. 3. & alii.

Resp. 3. transitum ex Ordine Mendicantium ad non Mendicantium sive Monachalem, sive non Monachalem (exceptâ Religione Carthusianorum) jure communi esse prohibitum decreto annullante professionem secutam in Ordine ad quem; & quidem sub penâ excommunicationis ipso jure latæ in recipientes & transeuntes summo Pontifici reservatâ, vigore cujuscunque licentiæ, indultû à Sede Apostolica, vel ejusdem Nuntio, aut Pœnitentiarii Pape; sic Martinus IV. in Extravag. *Viam ambitiosa*. 1. h. t. inter communes; ubi additur præterea. 1. quod si, qui taliter transivit, intra dies 15. computandos à die monitionis, non redierit ad priorem Ordinem; tanquam *notorius excommunicatus Apostata* ab omnibus reputari debeat. 2. ut deinceps nullus ex Ordinibus Mendicantium in aliquem Monasticum Ordinem (Carthusianum excepto) recipiatur, sine speciali licentiâ Sedis Apostolicæ, sub iisdem pœnis, & secus facta ipso jure sint irrita.

2793 Circa istam extravagantem notant Anthores, per ea verba (*suavitate coloribus asserentibus ob frugem melioris vite, aut arctioris observantia; & ut liberius agant, dignitates, & beneficia Monastica consequi valeant*) denotari: constitutionem in ea contentam esse intelligendam solum de prohibitione transitus ab Ordine Mendicantium ad non Mendicantium, si hoc fiat *sine justa causa*; adeoque, ubi foret in re justa, & rationabilis causa, id eâ extravagante non obstante fieri posse; ita Lessius lib. 2. c. 41. n. 104. Sanchez in Decal. l. 6. c. 7. n. 68. & apud illos plures alii; & quamvis Azor p. 1. l. 12. c. 14. q. 12. Suarez D. 22. de Renunt. Sect. 5. n. 16. dicant, per eam Extravagantem Prælati oblatam esse facultatem dandi licentiâ pro tali transitu; censet tamen Pishingh. t. n. 137. in praxi esse contrarium; uti & Less. cit. in pluribus locis non esse usum receptum.

2794 Dices: Gregorius XIII. anno 1582. concessit Societati JESU, ut ipsius Generalis licentiâ sufficeret, ut etiam Professores Societatis possint transire ad aliam Religionem, & in eo privilegio inter-

dicit communicationem aliis Mendicantibus; in quo manifestè supponit, secluso hoc privilegio non sufficere licentiam Generalis. Respondet Sanchez cit. n. 68. solum sequi, quòd in aliis Religionibus non sit concessum solis Superioribus absq; Conventus consensu; & ideo, quòd hoc possit in Societate JESU solus Generalis, esse quid speciale, nec commune illis, esto in aliis privilegiis communicent cum Societate; quia dictum privilegium Societati concessum est *incommunicabiliter*.

2795 Circa istum transitum ab una Religione ad aliam, in quantum transitus fit ad strictiorem, jam diximus; an autem, & qualiter ejusmodi transitus fieri possit ad religionem æquè, aut minus strictam? exponimus in seqq. pro quo not. 1. quando transitus fit ad strictiorem Religionem, id concedi posse à Prælato immediato juxta dicta superioribus; quod intellige, si transitus fiat ex Zelò melioris frugis; non autem, si ex levitate quadam, vel alia animi perturbatione, non concurrènte alià legitimâ causâ; nam de illo solum casu loquitur textus in c. *Licet*. h. t.

2796 Not. 2. juxta nonnullos, transitum ad Religionem æquè strictam, non existente ulla legitima causâ, à solo Pontifice concedi posse; quamvis enim Francus apud Sanchez n. 43. existimet, ejusmodi licentiam Papæ solum excusare in foro externo, quia præsumitur dedisse facultatem subsistente causâ legitimâ; Sanchez tamen n. 64. existimat, nec sufficere pro foro externo; quia jus Religionis, ex qua fit transitus per professionem acquisitum, nullâ existente causâ legitimâ, adimi non potest.

2797 Not. 3. existente legitima causâ licentiam transeundi ad religionem æquè strictam, ex communi DD. sententia concedi posse etiam à Prælato Pontifice inferiore; ita tenent Tabiena V. *Religio*. qu. 23. n. 24. Imola in Clem. 1. de Regularibus n. 11. & alii, quibus n. 45. relatis accedit etiam Sanchez cit. num. 65. ratio est, quia talis potestas censetur necessaria ad rectam gubernationem Religionis, & videtur id concessum esse in 19. q. 3. c. 3. ubi ex permissione Patris, sive Abbatis, & totius Congregationis,

potest Canonikus Regularis transire ad Monachatum, neque est certum, quòd ibi tantum sit sermo, de transitu ad strictiorem Ordinem.

Dubitari autem potest. 1. quis in hoc casu ex Superioribus Pontifice inferioribus possit dare talem licentiam? 2. in exemptis hanc facultatem dari posse à Provinciali, vel Generali, nisi constitutio Religionis aliud caveat, & hoc sine recursum ad Episcopum, esto Monasterium sit in ejus diocesi; non autem à Superiore immediato; ratio primæ partis est, quia exempti non subunt Episcopo; ergo, ut cum venia sui Superioris exemptus transeat ad aliam Religionem non pendet à consensu Diocesani; sed sui Prælati habentis in eum jurisdictionem quasi Episcopalem. Ratio secundæ partis est, 1. quia, cum quis ad religionem admittitur, non solum Monasterio, in quo recipitur, sed toti Ordini, vel saltem Provinciæ jus in eum acquiritur; ergò, cum alienatur, non sufficit consensus solius immediati Superioris ejus Monasterii, à quo abit; sed requiritur consensus vel Generalis, vel Provincialis. 2. quia Superior immediatus non potest sola sua auctoritate subditum ad aliud ejusdem Religionis Monasterium transferre; ergo minus à tota religione alienare in aliam; sic Antonius Cucus lib. 3. *instit. moral. tit. 1. n. 137.* cui accedit Sanchez citat. num. 65. qui num. seq. existimat, etiam in exemptis exigi quoque consensum Conventus; quia majora Religionis negotia sine Conventus consensu expediri non possunt.

Not. 4. casum, in quo diximus à Prælatis Papæ inferioribus dari posse facultatem transeundi ad Religionem æquè strictam, procedere, licet facilis sit recursus ad Pontificem; ita Fr. Emanuel qq. regul. tom. 3. qu. 52. a. 9. Francus c. *Cum singula*, §. *prohibemus*, de Regularibus in 6. num. 51. & complures alii; nam ad Extravag. *Viam* (quam aliqui censent obstatè, cum exigit licentiam Papæ) jam respondimus num. 2793. eam procedere, ubi non est justa causa; & quod dicitur ex Trid. Sess. 25. de Regularibus. c. 19. *ne ullus Regularis, cujuscumq; facultatis vigore, transferatur*

ad laxiorem religionem, non loquitur de transitu ad *Ordinem aequè strictum*, de quo haecenus à n. 2795. egimus.

2800 Cœterùm, loquendo de transitu ad *Ordinem laxiorem*, citatum Tridentini textum exponunt, ne fiat volentibus transire facultas à Superioribus Papâ inferioribus, *absq. justa causa*; ita Navar. l.3. Consil. de Regularib. consil. 56. n.3. Azor tom.1. l.12. c.15. q.1. Sa V. *Religio*. n.39. & alii. & ideo Sanchez cit. n. 67. & seq. docet, etsi solus Pontifex nullâ concurrente justâ causâ dare possit licentiam transeundi ad laxiorem Ordinem, profuturam pro solo foro externo; eandem tamen, concurrente legitimâ causâ dari posse à Prælatibus etiam Papâ inferioribus, id enim nullo jure prohibitum esse colligitur ex dict. ubi tamen nota in his casibus non sufficere licentiam *petitam, & non obtentam*; nam hoc in c. *Licet*. h. t. conceditur solum tanquam speciale in transitu ad *strictiorem*; sic Joann. Andr. in Addit. ad Speculator. de dispensat. §. *Sunt quœque*, n. 6. lit. D.

2801 Ad 3. quæst. in n. 2788. *scilicet* negati-  
vè. Nam in Clement.1. de Regular. statu-  
tuitur. 1. ut Mendicantes (qui auctori-  
tate etiam Apostolica ad non Mendicantes transferunt, aut in posterum transibunt) quamvis tunc Prioratus vel Officia, aut curam animarum, vel regimen quodcunq. obtineant *inibi vocem, aut locum in Capitulo non habeant*, etiam si hoc ab aliis sibi liberè concedatur. 2. ne sic translati assumantur in posterum ad Prioratus, administrationes, aut quæcunq. officia, etiam tanquam vicarii, seu ministri, vel locum aliorum tenentes, & ne animarum curam; aut regimen possint pro se, vel pro aliis exercere. Et quidquid in contrarium gestum fuerit, decernitur ibi fore irritum ipso jure, nullis privilegiis obstantibus.

Tertiò in Trid. Sess. 14. de reform. c.11. ut omnes Religiosi, etsi Canonici Regulares sint, translati ad alium Ordinem, sint omnino incapaces quorumcunq. beneficiorum secularium, etiam si curata sint. Et intelligitur, quamvis ad strictiorem sit transitus, ut bene docet Leonard. lib.2. de instit. cap. 41. dub.13. num. 105. quia generaliter lo-

quitur de translatis vigore etiam cujus-  
cunq. facultatis.

Sed not. sub dictâ Clementina com-  
prehendi *solos Mendicantes, qui virtute privilegii Apostolici transeunt ad non Mendicantes*; nam de his solum loquitur; non autem de Mendicantibus, qui transeunt ad Mendicantes, nec non Mendicantes, qui transeunt ad aliam quamcunq. Religionem; nec etiam Mendicantes, qui transeunt ad Carthusiam, quia hic transitus concessus est lege, ac jure communi, non autem virtute privilegii, &c.

Not.2. dictam Clementinam extendi  
ad Mendicantes non tantum illorum 4.  
ordinum, de quibus fit mentio in c. *uni-  
co*. §. *Sanè*, de Regularib. in 6. sed etiam  
postea creatos, ut sunt Minimorum, &  
Soc. JESU; sic Azor tom.1. l.12. c.14.  
q.12. & alii; nam lex generalis, & per-  
petua obligat non solum tunc existen-  
tes, sed etiam postea exituros; an au-  
tem etiam comprehendat Religiosos  
Soc. JESU, qui habent sola vota sim-  
plicia, necdum constitutos in gradu  
Professorum, vel Coadjutorum forma-  
torum? posset alicui videri dubitabile;  
quia constitutio illa Clementina loqui-  
tur *de solis Mendicantibus*;

Mandosius, de privileg. *adinstur*, 2804  
gloss. 2. num. penult. aliquantum vide-  
tur ambigere; nihil tamen definit in  
contrarium, dum dicit: *Collegia Societa-  
tis JESU non esse mendicantia; sed solam  
Societatem, qua ex professis constat*, &  
gloss.11. n.25. defendit Religiosos Scho-  
lares Societatis JESU non esse verè  
mendicantes, sed tantum *quodammodo*;  
idem tradit Manuel Rodrig. tom.3. re-  
gular. q.49. a.2. ratio dubitandi desu-  
mebatur ex redivisibus Collegiorum.  
Verùm contrarium declaravit Pius V.  
in Bulla, Anno 1571. & Gregorius XIII.  
Anno 1582. Nam Pius V. proposita illâ  
ratione dubitandi, quæ sumitur ex re-  
divisibus Collegiorum, quibus illi Scho-  
lares fruuntur, definit, *se ad illam ambi-  
guitatem tollendam declarare, domos, Col-  
legia, & personas omnes Societatis esse ve-  
rè, & propriè mendicantia*. Quare jam  
non videtur posse id in dubium vocari.

Ad 4. quæst. in n. eod. *scilicet* quod sic; 2805  
nam hoc ipso, quod quis Professor trans-  
feratur

feratur ad alium Ordinem, ut ibi sit Præ-  
latus, cum ad hoc electus, vel postula-  
tus confirmationem, vel admissionem  
accipit, tacite proficitur regulam, &  
observantias talis Ordinis ultra substan-  
tialia Religionis vota servandas; cum  
translatus ab una Ecclesia, vel Mona-  
sterio ad aliud perdat omnia jura prio-  
ris. 21. q. 2. c. si quis 3. & 16. q. 1. c. ne  
pro cujlibet. 37. id, quod etiam intel-  
ligi debet de translato ad alium Ordi-  
nem, esto non, ut ibi sit Superior; ra-  
tio est eadem. Ad 5. 32. negativè; nam  
illa vota specialia sunt annexa Professio-  
ni in tali Religione; hæc autem per  
translationem cessat; ita Sanchez citat.  
1.6. c. 7. n. 87.

2806 Ad 6. 32. bona, quæ talis, secutâ  
professione, Monasterio attulit, manere  
penes tale Monasterium, si capax sit  
bonorum temporalium, esto ex hoc  
transferatur ad aliud, similiter capax  
bonorum temporalium, ac in eo profi-  
teatur; ratio est, quia factâ professione  
sunt absolutè translata, ut colligitur ex  
cit. Authent. de Monachis. §. si verò re-  
linquens. c. 7. coll. 1. atque adeo inde-  
pendenter à permanentia in eodem, vel  
transitu ad aliud: secus autem est de  
acquisitis post professionem in Religio-  
ne, ad quam transivit; ea enim huic ac-  
quirentur; cum deserit esse pars prio-  
ris Religionis, vel Monasterii; ita San-  
chez cit. 1. 7. c. 32. à n. 8. & deducitur ex  
cit. Authent. Ingressi, C. de SS. Eccles.

2807 Præter hæc not. 1. si Religiosus ex  
ordine bonorum temporalium incapaci  
legitimè transeat ad capacem, bona, quæ  
secutâ ejus professione in primo Ordine  
perfectè acquisita sunt illis, qui tali casu  
jure vocantur in successione, manere  
penes eos; quia ponuntur absolutè, &  
perfectè acquisita; nec deberi Monaste-  
rio, ad quod transivit; seüs est de acqui-  
sitis post professionem in nova Religio-  
ne. Unde bona, in quæ professio Ordi-  
nem Minorum S. Francisci successerunt  
ejus consanguinei, manent penes eos, li-  
cet postea transeat ad Ordinem v. g. S.  
Dominici, vel similem bonorum tem-  
poralium capacem; quia secutâ profes-  
sione in prima Religione bona ejus per-  
fectè jam acquisita sunt consanguineis.  
V. Sanchez cit. c. 32. n. 70.

2808 Not. 2. nos in præmissis loqui de tran-  
Tom. III.

situ, seu translatione perfecta, quâ nimi-  
rum quis ita transit ex una ad aliam Reli-  
gionem, ut jura prioris religionis in ipso  
extinguantur per professionem subse-  
quentem in alia; desinatque esse mem-  
brum de illius corpore, & transferatur  
in corpus alterius; adeoque non de tran-  
situ, qui fit quidem ex justa causa, at sine  
animo in alio Monasterio profitendi, sed  
solum v. g. causa pœnitentiæ, majoris  
concordiæ, valetudinis, &c. quia sic  
manet actuale membrum de corpore ta-  
lis Monasterii, & perinde gaudet juri-  
bus, illius loci professis competentibus,  
ac si præsens esset; nisi fortè in pœnam  
illis privatus esset.

Ex hoc deducitur bona, quæ talis 2809  
professus attulit Monasterio, manere  
penes ipsum Monasterium, licet ex hoc  
ad aliud transiverit ex tali fine, v. g. cau-  
sâ concordiæ, pœnitentiæ, valetudinis,  
quin in eo, ad quod transivit, profitea-  
tur; id, quod verum est etiam de usufru-  
ctu, si quem habuit, de tractis tamen ali-  
mentis, quæ solvi debent novo, ad quod  
transivit, Monasterio, nisi huic tam uti-  
lem præstaret operam, ut hæc alimentis  
æquivaleret; de quo Sanchez cit. c. 32.  
à n. 46. Unde etiam bona, quæ obve-  
nient taliter translato ad aliud Mona-  
sterium non huic, sed priori, in quo  
actu professus est, deberentur; nam in  
posterius, cum ponatur non professus  
in eo, nihil juris transtulit.

Not. 3. Religionem, à qua Religio. 2810  
sus temerè, ac illegitimè transivit ad al-  
liam, teneri eum recipere, facti pœni-  
tentem, & ad veterem suam Religionem  
redeuntem; quia per tale factum soluta  
non est professio in priori Religione,  
consequenter obligatio mutua; præser-  
tim cum talis professus nec expressè,  
nec tacite renuntiare possit juribus, sibi  
competentibus stante legitimâ profes-  
sione in tali Religione; sic Innocentius  
in cap. Joannes 5. h. t. Joan. Andreas  
ibid. n. 13. Sanchez cit. 1. 7. c. 7. à n. 105.

Not. 4. Religiosum, qui in sua Reli- 2811  
gione receptus est in Clericum, posse in  
eadem Religione descendere ad statum  
Fratrum Laicorum, seu Conversorum,  
stante justâ causâ, & consensu eorum,  
quorum interest in tali Religione; ita  
Sanchez in Decalogo lib. 6. c. 7. à n. 80.  
Pellizarius in Manual. tract. 3. c. 5. sect. 3.  
Mmm n. 138.

n. 138. nam in hoc casu non fit mutatio Religionis in substantia, sed solum in accidente; unde in tali casu, subsistente causâ rationabili (v. g. amore status humilioris) idem concedere poterit à fortiori facultatem transeundi ad hunc statum, qui alioquin potest pro transitu ab una Religione ad aliam, de quo supra; ita Sanchez cit. à n. 81. Pellizarius cit. & alii; dixi, qui receptus est in Clericum, nimirum, si nondum constitutus fit in sacris; nam hoc fieri posse illorum authoritate, negant prædicti Auctores; de quo tamen cujusque Ordinis constitutiones, per Sedem Apostolicam approbatæ, attendi debent.

2812 Not. 5. in Clementina, ut Professores. r. h. t. (ubi statuitur, ut Mendicantes Professi deinceps non transeant ad Ordinem non Mendicantium, nec inibi (si qui cum legitima facultate transiverint) vocem, aut locum in Capitulo habeant, aut admittantur ad Prioratus, administrationes, vel quæcunque officia, etiam solum locum Vicarii, seu Ministri tenentes, aut curam animarum recipientes, ullumve regimen pro se, vel aliis exercendo) per Mendicantes intelligi eos, quibus in Regula, vel Constitutionibus suis à Sede Apostolica approbatis, non licet possidere bona temporalia, etiam in communi, quantumvis per Sedis Apostolicæ dispensationem illa ex privilegio licite possideant. Cum enim hæc constitutio pœnalis sit (ut liquet ex pœnis inibi decretis secus agentibus) extendi non debet ad Ordines nisi propriè, hoc est, vi suarum constitutionum Mendicantes; hoc est, incapaces ullius juris, aut domini rerum temporalium.

2813 Quare Regulares, vi suarum constitutionum, quæ per Sedem Apostolicam approbatæ sunt, capaces bonorum temporalium saltem in communi, licet mendicent, non veniunt in ea Clementina nomine Mendicantium; ita Sanchez cit. lib. 6. c. 7. n. 113. qui propterea n. 116. contra gloss. in dict. Clement. i. V. quoslibet docet, in ea constitutione nomine Mendicantium non venire Moniales Ordinum Mendicantium (ut Prædicatorum, & Minorum) eò, quòd istæ non ex privilegio Papæ, sed vi suæ regulæ possint habere redditus, & bona temporalia in communi.

Not. 6. quando peccantes contra dictam Clement. puniuntur privatione vocis, & loci in Capitulo, intelligi de voce tam activa, quam passiva, quia textus indefinite loquitur; ea porrò verba in Capitulo accipienda esse de Capitulo in Ordine non Mendicante, ad quem contra dictam Clementinam transeunt, id, quod colligitur ex particula inibi, nimirum in ordine, ad quem transiverunt, ibi: sacro approbante Concilio statumus, Mendicantes quoslibet, qui ad non Mendicantium Ordines etiam auctoritate Apostolica transibunt in posterum, quive hætenus transiverunt, quamvis nunc Prioratus, Administrationes, vel Officia, aut curam animarum, vel regimen quodeunque obtineant inibi, vocem, aut locum in Capitulo non habere: etiam si hoc sibi ab aliis liberè concedatur, nec tamen de Capitulo etiam hujus religionis quocunque, sed solum Generali, vel Provinciali, aut etiam privato talis Monasterii ad electionem, & tractatus habendos convocato; non autem ad morum correctionem; sed de hoc V. Sanchez cit. l. 6. c. 7. à n. 120.

#### Articulus ultimus.

De Regularibus Fugitivis, Apostatis, & Ejectis.

2815 Discrimen, quod est inter Regulares Fugitivos, Apostatas, & Ejectos, declarat AZOR p. 1. l. 12. c. 16. Lessius l. 2. c. 41. dub. 15. & Sanchez l. 6. Decal. c. 8. nam loquendo in rigore Fugitivus est, qui discedit à religione ad tempus, ut liberè vagetur: animo tamen redeundi ad ordinem. Apostata est, qui à religione in totum fugit animo non redeundi. Ad utrumque parum refert quod retineat, vel dimittat habitum; Ejectus autem (alio nomine expulsus) est, qui non sponte, sed jussus, vel compulsus discedit. Quoad hoc discrimen inter prædictos actus not. definitionem fugitivi communiter receptam esse, cum addito, quòd ille recessus à Monasterio fiat absq. Superiorum licentia, ut notat Sanchez cit. n. 12. quia tamen talis retinet animum redeundi ad Religionem saltem aliquando, Apostatis annumerari non potest, cujus oppositum aliqui voverunt, sed immeritò; quia Apostasia à Religione non stat, stante animo

mo redeundi ad Religionem. Quare negandum est, Religiosum esse verè, ac propriè Apostatam, qui suæ religionis habitum sic alio cooperit, ut exterius non appareat, prout Sylvester V. *Excommunicatio*. 9. casu 24. n. 53. q. 4. & alii; ratio est, quia solus animus recedendi in perpetuum ab instituto Religioso verum Apostatam constituit; ita Sanchez cit. l. 6. Decal. c. 8. n. 5. & apud eum Mandol. Fr. Emanuel & alii, ut constat ex *Apostasia* definitione, quam communiter recipiunt Doctores. hoc

2816 Ex hoc etiam habetur resolutio ad illam quæstionem, an sit Apostata, qui desertà propriâ Religione transit sine legitima facultate ad aliam laxiorem? tamen enim talem esse verè Apostatam, & subijci omnibus Apostatarum pœnis, affirmet Suarez tom. 5. in 3. p. D. 31. Sect. 6. num. 4. communis tamen sententia rectius negat cum Sanchez cit. c. 8. n. 8. dicente, non esse recedendum à frequentissima sententia, asserente hunc non esse verè ac propriè Apostatam, sed largè, impropriè; & secundùm quid, ac proinde Apostatarum pœnis non subijci, quamvis lethaliter peccet; ratio est, quòd talis non simpliciter à religiois vitæ, sed à certâ religionis instituto recedat, cum in qualibet religionæ tria vota religiosi instituti substantialia emittantur. Et quamvis transitus hic irritus sit; at animus transeuntis non fuit omnino à religioso instituto recedere, sed ad aliam religionem transire: at Apostasia verum animum dimittendi religiosum statum desiderat; & ita etiam tradit Azor, Hostiens. Abbas, Angelus, Sylvester, & complures alii apud eundem loc. cit. relati.

2817 Dices cum P. Suarez: relinquens statum suum Religiosum, & alium assumens invalidè, perinde est, ac si religiosum statum omnino deponeret: at transiens absque legitima licentiâ ad religionem laxiorem, transit invalidè, & professio posterior est irrita, & omnino dimisit: ergo est verus Apostata, actus enim omnino irritus inamunitatem non præstat, neque aliquid confert. R. verum esse, quòd professio posterior irrita sit, & invalida; non autem, quòd per hoc taliter proficiens deponat animum

Tom. III.

omnino relinquendi statum religiosum; sed tantum, talem statum, ex quo recessit. Quamvis enim talis professio irrita sit quoad alios effectus juris, & quoad hos perinde sit nulliter efficere, & non efficere; quoad hoc tamen (ut exinde sit verè Apostata) non est perinde; nam Apostasia vera verum animum dimittendi statum religiosum desiderat ex num. 2816. nam omnino deponens statum religiosum habet animum ab eo recedendi; qui deficit in invalidè transeunte ad aliam religionem; sic gloss. c. *Ex parte*, de temporib. ordinat. V. *ad nigros*. & c. *fin.* de Apostat. & complures alii.

Dices. 2. ergo talis nec erit verè fugitivus? R. apud Sylvestrum V. *Apostasia*. q. 4. n. 9. aliquos (non tamen expresso nomine relatos) negare; sed rectius cum distinctione respondetur, & negari, si transeat ad aliud Monasterium ejusdem Religionis, etsi non ejusdem rigoris, si tamen & Monasterium à quo, & ad quod, sit sub eodem Prælato; secus, si sub diverso; nam in hoc secundo, non autem in primo casu indubitè, ac invalidè transit fugiens ab obedientia suo Superiori debita; ita Sanchez cit. n. 9. & ideo in talem non cadunt pœnæ decretæ à Paulo IV. in motu proprio incip. *Postquam divina bonitas, contra temerè vagantes extra Religionem*; nam nomine illorum soli veri Apostatæ à religione illam in perpetuum deserentes comprehenduntur; quia Paulus IV. decies repetit *Apostatas, & Apostasiam*.

Dices. 3. Paulus IV. expressè comprehendit etiam omnes professos, qui temeritate propriâ, quovis prætextu, extra claustra suorum monasteriorum degunt, aut in futurum degent. R. illum loqui de his, qui extra claustra suorum monasteriorum degunt, aut degent *apostatando*, seu animo simpliciter deserendi statum religiosum; hanc enim interpretationem suadet tam frequens repetitio *Apostasie* in eo motu proprio. Quod verò adducitur ex Pio V. in motu ejusdem proprio, incip. *Quacunque Sacrarum*, pariter non obstat. Nam iste vel solum declarat priorem Pauli IV. ut volunt aliqui, consequenter nihil novi statuit, & subit easdem limitationes,

Mmm 2

tiones; quas patitur motus proprius Pauli IV. per eam declaratus; vel, ut merito cenfet Sanchez *cit. cap. 8. n. 10.* nihil de illis pœnis agit, nec motum proprium Pauli IV. declarat; sed tantum prohibet transitum ex una religione in aliam *virtute privilegiorum Religionis*; non autem illum, qui *jure communi* concessus est, c. *Licer*, de Regularibus; ita Sanchez *cit. lib. 6. cap. 7. num. 2.* qui *cap. 8. num. 11.* excommunicationem in recedentes à Societ. JESU statutam in Bulla Pii V. & Bulla *Ascendente Domino* Gregorii XIII. exponit accipiendam de veris Apostatis. Plura de Apostatis, ac eorum pœnis V. lib. 5. tit. 9. de Apostatis.

2820 Circa Religiosos *ejectos*, seu *expul-*  
*fos* not. 5. Ordinibus Regularium com-  
 petere potestatem suos Religiosos,  
 etiam professos, ex causâ justa, & gra-  
 vi, à Religione expellendi etiam in per-  
 petuum, id, quod probat constans Reli-  
 gionum praxis, multis etiam ad hoc  
 summorum Pontificum privilegiis mu-  
 nita; colligitur etiam ex c. *fin. h. t.* ubi  
 præcipitur Superioribus Religionum  
 etiam immediatis, ut fugitivos suos, &  
*ejectos de Ordine suo*, *requirant sollicitè*  
*annuatim*, ne sanguis eorum (ex occa-  
 sione vagandi, propriæ salutis detrimen-  
 tum incurrendo) de Prælatorum ma-  
 nibus requiratur, deinde c. *cum ad Mo-*  
*nasterium. 6.* de Statu Monach. dicitur,  
*Regularis proprietarius de Monasterio*  
*expellendus*; & c. *fin. eod.* idem statui-  
 tur quoad rebelles, & contumaces; &  
 ita tenet D. Thomas quod lib. 12. a. ult.  
*Decal. c. 9.* Lessius de Just. l. 2. c. 41. n. 110.  
 & alii communiter.

2821 Advert. autem, quando dicitur à  
 Superioribus Religionum fugitivos, vel  
 ejectos *annuatim* esse requirendos per  
 c. *fin. h. t.* contrariâ consuetudine ab-  
 rogatum esse; & ex vi ejus decreti non  
 teneri Prælatos *querere*, ac revocare  
 ejectos, vel fugitivos; sed servanda esse  
 quoad hoc statuta religionum, & jus  
 naturale, quod solos *injustè* ejectos re-  
 stitui dicit; & sic querendi sunt, ut ad  
 pristinum statum restituantur. Si verò  
 Apostatæ, & fugitivi sint, tenebitur eo-  
 dem jure divino naturali Prælati reli-

gionis, si commodè possit, eos qua-  
 rere, ut corrigat, & puniat juxta regu-  
 lã, & constitutionum præscriptum,  
 utpote qui verè sui subditi sint; ut vel  
 sic spirituali eorum salutì prospiciat, &  
 si delictum non fuerit expulsiõe di-  
 gnum, admittat correctos in religio-  
 nem; ita Sanchez *cit. cap. 9. num. 18.* imò  
 licet c. *finale* adhuc obtineret, intelli-  
 gendum tamen esset solùm pro casu,  
 quo revocatio ejectorum aliis non af-  
 feret scandalum, & correctio sperari  
 posset; ita DD. communiter; aliàs  
 enim privato bono præferri debet  
 commune.

2822 Si quæ autem contraxerunt interim  
 debita in alimenta, & alia vitæ neces-  
 saria, tenebitur ad ea persolvenda Mo-  
 nasterium, quando ejectio *injustè* facta  
 est; secùs, quando justè. Nam Mona-  
 sterium ex contractu tenetur ad ali-  
 menta suis præstanda, quàm diu ab ob-  
 ligatione contracta legitime non liber-  
 ratur; at liberatur solùm per ejectionem  
 justè factam; ita Surdus de Aliment.  
*tit. 9. q. 35. n. 6.* Molina de Justit. *tract. 2.*  
*D. 140.* Sanchez *cit. c. 9. à num. 20.* quos  
 citat, & sequitur Barbosa in c. *fin. h. t.*  
 à n. 4. Quod dictum est de *ejectis justè*,  
 ad nihil teneri Monasterium etiam pro  
 alimentis eorum, procedit etiam de tu-  
 gitivis, & Apostatis, durante fugã, vel  
 Apostasiã; excipiunt aliqui cum San-  
 chez *cit. n. 22.* expensas factas ab eo;  
 qui talem caperet deducendum ad  
 suum Monasterium; sic enim hujus ne-  
 gotium utiliter gereret; vel ipse fugiti-  
 vus pœnitentiã ductus faceret, ut redi-  
 ret; cùm eas ad eum revocandum Mo-  
 nasterium facere debuisset.

2823 Advert. 2. Regularem professum,  
 etiam justè ejectum in perpetuum, non  
 liberari à substantialibus votis Religio-  
 nis; nullus enim Papã inferior, autho-  
 ritate suã potest facere ex Monacho  
 non Monachum; ac ex Regulari non  
 Regularem; ita Sanchez *cit. lib. 6. c. 9.*  
*num. 25.* Azor *cit. p. 1. l. 12. c. 16. q. 4.* Les-  
 sius l. 2. c. 41. n. 112. & alii; quia etiam  
 suppositã tali ejectione manet in sub-  
 stantia verus Religiosus. Unde talis  
 ejectus in bonis, quæ acquirit, præter  
 nudum eorum usum, quantum requirit  
 necessitas sustentationis nihil habet.  
 cùm

cum teneatur voto paupertatis, prout eorum status patitur; sic Navarr. comment. 2. de Regularib. num. 45. Azor cit. c. 16. q. 4. & alii. Cui autem acquirant ea bona tempore durantis ejectionis: sub lite est; Navarrus cit. n. 33. & Azor cit. q. 9. volunt acquiri vel Ecclesie diocesanae, si inibi beneficium habeat; vel Romanae, si nullum; id, quod Layman l. 4. tit. 5. c. 13. n. 3. censet obtinere in praxi; quia iuste ejectus nullam cum Monasterio communionem habet: sed attento iure, rectius dicitur, ea acquiri Monasterio; cum ius, quod hoc obtinuit ex ejus professione, per ejectionem ei non sit ademptum; unde licet iuste ejectus cum Monasterio non habeat communionem quoad favores, secus est, quoad onera ex professione incumbenda professo. Dixi: *attento iure*; nam attento Motu proprio Greg. XIII. in bip. *Officii nostri*, omnia per hos ejectos undecunque acquisita pertinent ad Cameram Apostolicam post eorum obitum, si extra Religionem decedant; sic Barbosa in c. fin. h. t. n. 15. ubi addit, ejectum tunc dici, ut desinat acquirere Monasterio, quando exutus habitu Monachali a corpore Ordinis diimititur; Rot. apud Farinac. decis. 149. n. 2. part. 2. recent. Quoad fugitivos autem magis concorditer sentiunt DD. per eum acquisita acquiri Monasterio.

2824 Loquendo autem de voto obedientiae (de castitate enim certum est, teneri eum ad exactam illius observantiam) dicendum, nec ab eo liberari relate ad Superiores quoad hoc, ut, si recipiatur ad ordinem, perinde ac alii obedire teneatur; quamvis durante statu ejectionis liberetur quoad executionem, alias observantias regulæ (ut sunt jejunia, abstinentia à carnibus, vigiliæ Ordinis, onus dicendi horas canonicas quantum est vi regulæ; secus, si sit in sacris) dum ad Ordinem recipiatur. Nam hæc non sunt inseparabiliter annexa votis substantialibus Religionis; sed statui vitæ Regularis, à quo ponitur iuste expulsus; ita Navarrus citat. comment. 2. num. 36. Lessius num. 115. Sanchez lib. 7. cap. 9. à num. 52. quos citat,

& sequitur Barbol. in c. fin. h. t. n. 12. ubi addit: hos ejectos in perpetuum non teneri deferre habitum suæ Religionis, si eo spoliatur, ut docent Navarr. cit. comment. 2. n. 36. & sub hoc tit. *consil. 51. num. 2.* in antiquis, aliis *consil. 78. num. 2.* in novis, Barthol. à S. Fausto l. 7. q. 250. Azor lib. 12. cap. 18. q. 13. Sayr. in clavi Regia, lib. 6. cap. 9. num. 28. Fr. Emman. q. 30. a. 26. Lessius cap. 41. dub. 15. n. 112. Sanchez cit. c. 9. n. 55.

Difficultas est in casu, quo tales e- 2825  
jecti post debitam sui emendationem petunt ad suam religionem recipi, & nihilominus rejiciuntur, an tunc saltem absolute liberentur à voto paupertatis, & obedientiæ? affirmant apud Sanchez lib. 6. cap. 9. num. 26. Tolerus, Sa, Sayrus, Azor, & alii: sed hoc cum distinctione accipiendum est, ut procedat de liberatione obligationis solum *suspensiva*; non *extinctiva* voti, & obligationis; quia nemo Papæ inferior potest tollere vota professionis religiosæ, at de Monacho fiat non Monachus; cum non desint, qui hanc potestatem etiam negent Papæ; quamvis de hoc contrarium sit probabilius; sub opinione tamen est, an talis Regularis ejectus durante statu, ejectionis transeat in obedientiam Episcopi? affirmant apud Sanchez citat. à num. 27. Navarrus, Azor, Suarez, & complures alii ibid. cit. Navarro id affirmante de Episcopo originis; sed rectius videtur negari, cum nullam Episcopo voverit obedientiam; præsertim, cum ipse Navarrus comment. 2. de Regularib. num. 34. recte doceat ejusmodi ejectos non teneri ad intrandam aliam religionem; qui nullam aliam voto suæ professionis promiserunt: at nullam etiam obedientiam voto suæ professionis promiserunt Episcopo; ergo. Quare pro tali statu non aliter Episcopo tenebuntur obedire, quam alii Clerici, qui sunt in ejus diocesi; quod maxime procedit in illis Regularibus, qui prius erant exempti à jurisdictione Episcopi; sic Lessius l. 2. de Just. cap. 41. dub. 15. num. 114. & alii. Plura de his V. lib. 5. tit. de Apostatis; & hic infra à n.